

649

Sammelwerk

11

N

23
Q. D. B. V
DISSERTATIONEM THEOLOGICAM
DE

OCVLO DOMINI
OMNIA VIDENTE

AD LOCOS
MATH. IX, 18 -- 26, ET XXIV, 15 -- 28

ILLVSTRANDOS

PRAESIDE
CHRIST. SIGISMVNO GEORGIO

SS. THEOL. DOCT. EIVSDEMQUE PROF. PVBL. ORDIN
REGIOELECTORAL. ALVMNORVM
EPHORO

D. 7^{Apr} FEBR. CIO IO CC LVII

IN AVDITORIO MAIORI

DEFENDET

IO. FRIDERICVS WOLDERVS

SCHORA - SAXO

VVITTEBERGAE

STANNO TZSCHIDRICHIANO EXCVSA

D. D. N. V.
DISSERTATIONEM THEOLOGICAM
DE

OCVLO DOMINI
OMNIA VIDENTE

AD LOCOS
MATR. IX. 8. 26. ET XXIX. 11. 22.
ILLUSTRANDOS

P. R. A. E. I. D. E.
CHRIST. SIGISMUNDO GEORGIO
SS. THEOL. DOCT. EIVSDEMQUE PROE. PUBL. ORDIN.
REGIOLECTORAL. ALUMNORVM
EPHORO

D. N. 1755. CIVIS CC LVI

IN AUDITORIO MAIORI

PRESBET.

IO. FRIDERICVS WOLDETVS

SCHOLA - SAXO



UNIVERSITÄT
STANNO THEOLOGICANO REGIA



V I R O
MAXIME REVERENDO AMPLISSIMO
DOCTISSIMOQVE

D O M I N O
GEBHARDO IOANNI ESSENIO

PASTORI APVD GOMERANOS VIGILANTISSIMO
EIVSDEMQUE DIOCESEOS SVPERINTENDENTI
GRAVISSIMO CETERA

DOMINO FAVTORI ATQVE PATRONO SVO
OBSERVANTER COLENDO SVSPICIENDOQVE

NEC NON

V I R O
PLVRIMVM REVERENDO AMPLISSIMO
DOCTISSIMOQVE

D O M I N O
MATTHIAE WERNERO
W O L D E R O

PASTORI SCHORENSI VIGILANTISSIMO
MERITISSIMOQVE

DOMINO AC PARENTI SVO
OPTIMO PIQVE VENERANDO

VITAM LONGISSIMAM
SALVTEM PERENNEM
ATQVE

INCOLUMITATEM CONTINVAM
PREGANS

HANC DISSERTATIONEM THEOLOGICAM
IN SVI COMMENDATIONEM SVAEQVE PIETATIS
DOCUMENTVM

EA QVA PAR EST OBSERVANTIA
AC PIETATE

V I R O
PLVRIMVM REVERENDO AMPLISSIMO
DOCTISSIMO
D O M I N O
M A T T H I A E W E R M E R O

W O L D E R O
PASTORI SCHÖRNINGI VIGILANTISSIMO
MERITISSIMO

DOMINO Iparendi lege cliens ac filius
IO. FRIDERICVS WOLDERVS

Quae de Ioue suo tradiderunt gentiles, quod oculus eius omnia uideat, ea eo certius de oculo Christi asseuerare possumus, quo plura huius rei, in sacris, extant testimonia atque exempla, quorum pericopae, quas haec pertractat Dissertatio, exhibent haud una. Altera enim exhibet, quod Dominus uiderit cordis cogitationes, fidem, tactumque occultum foeminae *αιμορροούσης*, et quod in filia *Iairi* uinculum animae corporisque solutum quidem sit, id tamen de integro iri resarcitum, altera uero, quod Hierosolymorum calamitates uiderit futuras, itemque Pseudochristos, et Pseudoprophetas hinc inde exorituros, prout pluribus ipsa Dissertatio haec hoc explicat negotium. Faxit Summum Numen, ut omnia gloriae diuini nominis atque Ecclesiae aedificationi bene uertant.

CAPVT I

QVO

EVANG. DOMIN. XXIV POST TRINITATIS

MATTH. IX, 18 — 26, EXTANS

ILLVSTRATVR

VERSVS 18 ET 19

18 Ταῦτα αὐτοῦ λαλοῦντος αὐτοῖς, ἰδοὺ ἄρχων ἐλθὼν προσκύνει αὐτῷ, λέγων· Ὅτι ἡ θυγάτηρ μου ἀφ' οἱ ἐτελεύτησεν, ἀλλὰ ἐλθὼν ἐπίθεσ τὴν χεῖρά σου ἐπ' αὐτήν, καὶ ζήσεται. Καὶ ἐγενεθῆς ὁ Ἰησοῦς ἠκολούθησεν αὐτῷ, καὶ οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ.

Hæc eo loquente ipso, ecce princeps ueniens adorabat eum, dicens, Filia quidem mea iam moritura est, sed ueniens impone manum tuam super eam, et uiuet. Surgens igitur Iesus secutus est eum, et discipuli eius.

Ε Ε Η Γ Η Σ Ι Σ

Ταῦτα αὐτοῦ λαλοῦντος — λέγων. Hæc, quae in antecedentibus uersibus referuntur, cum loqueretur Iesus, sedens in domo quadam ad mensam, iuxta u. 10, iis, discipulis quibusdam Iohannis, qui quaestionem de ieiunandi ratione proposuerant sequentem, Διατί ἡμεῖς καὶ οἱ Φαρισαῖοι νηστεύομεν πολλά, οἱ δὲ μαθηταὶ σου οὐ νηστεύουσιν; (Cur uero hanc quaestionem,

A 2

utrum

utrum ex cordis simplicitate in suam informationem, an Pharisaorum instinctu, ut Domino insidias struerent, eumque populo, qui ieiunia Pharisaeorum magni aestimabat, iisque sanctitatem quandam adscribebat, odio exponerent, ex contextu aperte doceri non potest.) *ecce*, de qua uocula uide quae ad u. 5 *Euang. Domin. Aduent.* I sunt notata, *princeps* quidam, quem s. MARCVS cap. V, 22, ἀρχισυνάγωγον, s. LVCA 9 uero, cap. IIX, 41 ἀρχοντα τῆς συναγωγῆς, cuius nomen *lairus* fuerit, appellant, adeoque magnae auctoritatis uir atque eruditus, *ueniens*, fiducia in Iesum agitur, quod iuuare posset, nisi enim hoc credidisset, uanus eius fuisset accessus, uana eius spes, uanae fuissent eius preces, *adorauit eum*, ad pedes procidens, uide, de hac scribendi ratione, quae ad u. 2 *Euang. in Fest. Epiphan.* diximus, *dicens*, gemebunda uoce, prout tristes, et in angustiis uersantes, parentes ob mortem instantem liberorum solent, et multis precibus, siue ut s. MARCVS haber, *precatus est eum uebementer*, *dicens*, *filia mea* duodecim annorum, eaque unigenita, *Luc. IIX, 42*, adeoque parentum spes unica, *iam mortua est*, s. MARCVS autem, cap. V, 23, scripsit ἐξάτως ἔχει, in agone mortis, siue morti proxima est, atque hinc dissensus inter utrumque Θεόπνευστον uidetur. Sed, si uocis ἀγτι significatum, qui uerbi ἐτελεύτησε uim, temperando, h. l. imminuit, paulo altius consideremus, edocemur ab ARISTOTELE, quod ista significet, non complementum praesentis *nunc*, sed τὸ ἐγγὺς τοῦ παρόντος νῦν, καὶ μόριον τοῦ παρελθόντος, *propinquum praesentis nunc, et partem praeteriti*, ex quo apparet, phrasin ἀγτι ἐτελεύτησε, idem esse, quod ἐξάτως ἔχει, scil. morti praesenti proxima puella est, eiusque uitae, siue uitalium spirituum, pars quaedam iam euauit, ac breui moritura erit, Germani dicunt, *sie ringet mit dem Tode, die Lebensgeister nehmen ab, es wird bald aufhören*. Atque ea mente *lairum* hanc dicendi rationem adhibuisse, ex *Lucae IIX, 49*, facile intelligitur. Bene ergo conueniunt Θεόπνευστοι, hoc saltem teneamus, puellam, cum Dominus cum *lairi* in uia esset, moritua fuisse, *Luc. IIX, 49*, uixisse autem adhuc, cum ad Dominum accederet parens, eumque rogans alloqueretur, *Filia quidem mea mox moritura est*, cum domo abiret, *sed ueniens*, ex quo colligimus, fidem eius non tantam fuisse, quanta illius erat centurionis, *Matth. IIX, 5*, seqq. aut foeminae illius Cananaeae, *Matth. XV, 28*, qui credebant, Iesum seruare posse absentem et uerbo, hic uero modum Iesu praescribens, eum praesentem, atque ut manum imponeret filiae suae, uolebat, *ueniens impone manum tuam saluiferam*, quod tanta iam edidisti miracula, *Matth. IIX, 31*, 15, *super eam filiam meam, et, quod confidentissime credo, seruabitur, Marc. V, 23*, ac *uinet*, nec morietur, quae uero nisi adiuturus sis, certissime ac breui morietur.

καὶ ἐγενεθεις ὁ ἰησοῦς -- καὶ οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ *Jesus igitur, hominis, pro sua Φιλανθρωπία, misertus, eiusque precibus, obsecutus, surgens, de mensa, et abruptens colloquium, quod habebat cum Iohannis discipulis quibusdam, ut altera ex parte ipse suo exemplo doceret misericordiam, quam, verso 13, Pharisaeis iniunxerat, altera vero ex parte discerent auditores, quod officia charitatis alia aliis sint anteferenda, eaque inprimis, cum necessitas urgeat, praestanda. secutus est eum, parentem, ad iuvandum, iuxta promissionem suam, Matth. XI, 28, qui festinante praebat animo et concitatis pedibus festinabat, ut veniret domum cum Iesu, antequam moreretur filia, similiter secuti sunt discipuli eius more consueto, quo conveniebat ipsis, ut tum discendi, tum administrandi, causa, Dominum sequerentur. Quibus adiunxerat se multus populus, Marc. V, 24, Christi doctrinam audiendi eiusque miracula videndi cupidus.*

ΠΡΟΕΟΙΚΕΙΩΣΙC

I Nemo a morte tutus est, *Rom. V, 12*, tam in palatia, quam in tuguriis, irruit, *Ier. IX, 21*. Conf. *περσον.* seq.

II Mors neque dignitatis, neque sexus, neque aetatis, rationem habet. Cum enim omnes mortales eius potestati sint subiecti, *Gen. II, 17, III, 19, Rom. V, 12*, modo decrepitem senem, modo robustum iuvenem, modo uenustam puellam, modo senio confectam foeminam, modo potentissimum Regem, modo impotentem mendicum, modo luxuriosum diuitem, modo abiectum pauperem, *Gen. XXV, 8, Luc. II, 25, 29, V, 12, XVI, 22, 23*, rapit. Disce ergo mori, quicumque sis, antequam moriaris.

III Ad Dominum, non ad sanctos, in angustiis est confugiendum, *Pf. L, 15, Ies. LXIV, 16*. Hic supplex est exorandus, *Pf. CXIIX, 5, Dan. IX, 18, 19, Matth. IX, 2, 5*. Huic calamitas nostra est commendanda, in hunc speremus, *Pf. XXXVII, 5, LV, 23, LVI, 2, seqq.*

IV Quam brevis est hominis uita, perit is, cum uix effloruit, sicut flos, *Pf. XC, 6, 7, CIII, 15, 16, Ies. XL, 6*. O si hanc uitae suae uanitatem considerarent mortales, in tempore saperent! *Pf. XXXIX, 5, 6, XC, 13*.

V Ad Christum in angustiis si accesseris, fide accedas, fide enim ut omnia potes, *Marc. IX, 23*, sic sine fide nihil potes, *Ebr. XI, 6, Iac. I, 6, 7*. In fide ergo

B

utrum

utrum sis, inquire, fide cresce, in fide sta, atque in fide usque ad finem uitae perseuers, 1 *Cor. XVI, 13*, 2 *Cor. XIII, 5*, 2 *Theff. I, 3*.

VI Ne uilipendas crucem, nam ad Christum te ducit, *Pf. LXXVII, 3, 4*, *Ies. XXVI, 16*, te in filiis DEI esse, probat, *Ebr. XII, 5, seqq.* teque humiliando magnum facit, *Pf. XIII, 36*.

VII Domino gloria est danda supplicando, incuruando, prociendo, et adorando, *Pf. XCV, 6, 7*.

IX Solus DEVS, Dominus uitae et necis, uitam nostram prolongare, *Ies. XXXIX, 5*, solus ille, medicus Israelis, nos sanare, solus ille, redemptor noster, ab omni malo nos redimere potest, *Ies. XLIII, 11*, *XLIV, 22*, 2 *Tim. IV, 18*.

VERSUS 20 — 22

20 Καὶ ἰδοὺ γυνὴ αἰμορροῦσα δώδεκα
ἔτη, προσελθούσα ἔπιθεν ἡψατο τοῦ
21 κροσπέδου τοῦ ἱματίου αὐτοῦ. Ἐλ-
γε γὰρ ἐν αὐτῇ· Ἐὰν μόνον ἄψω-
μαι τοῦ ἱματίου αὐτοῦ, σωθήσονται.
22 Ὁ δὲ Ἰησοῦς ἐπιστραφείς, καὶ ἰδὼν αὐ-
τὴν, εἶπε· Θάρσει θυγάτηρ· ἡ πίστις
σου σάσωκέ σε. Καὶ ἐσώθη ἡ γυνὴ ἀπὸ
τῆς ὥρας ἐκείνης.

*Ecce autem mulier sanguisua duodecim
annos, accedens retro tetigit sim-
briam uestimenti eius. Dixit enim
in se ipsa. Si tantum tetigero uesti-
mentum eius, seruabor. Iesus
autem conuersus, et uidentem eam, di-
xit. Confide filia. Fides tua ser-
uauit te. Et seruata fuit mulier
ab illa hora.*

ΕΞΗΓΗΣΙΣ

Καὶ ἰδοὺ γυνὴ -- τοῦ ἱματίου αὐτοῦ. *Ecce autem, cum Iesus abiret cum parente festinante, adeoque in uia iam esset, miraculosus quidam casus paululum remorabatur Iesum. (Quae quidem mora licet parua, longa tamen, procul dubio, uis fuit patri afflicto, uerenti, ne interea temporis moreretur filia, quemadmodum etiam factum erat, Luc. IIX, 49.) Nam mulier quaedam, quam alii, post AMBROSIUM Lib. I de Salomone c. 5, Maribam, Lazari Bethaniensis sororem, dicunt, alii Veronicam illam fuisse, quae in passione Christi quentam eius faciem linteo impressam exceperit, aiunt, alii aliam Veronicam, eamque Paneadis, quae est Caesarea Philippi, incolam fuisse, ex EUSEBIO, EYFFINO, NICEPHORO, THEOPHYLACTO repetunt, quorum ille, quem reliqui*

reliqui procul dubio secuti sunt, *Lib. VII. Hist. Eccl. c. 18*; haec tradidit, scribens, *Quoniam in civitatis huius mentionem iacidi, operae pretium arbitror historiam, h. l. citare; quae digna plane videtur, quam memoriae ad posteritatem commendemus.* Mulierem enim illam sanguinis profusio afflictam, quam, sanctorum Evangeliorum testimonio, a Servatore nostro morbi remedium, invenisse cognovimus, ex ea civitate oriundam, illiusque domum ibi ostendi et admirabilia quaedam Servatoris in eam beneficii monumenta, et quasi tropaea ad hoc tempus durare memorant. Prae foribus enim domus illius aeneam stare dicunt mulieris effigiem genibus flexis et manibus, instar supplicantis, in anteriorem partem extensis, super editum lapidem collocatam, huic, e regione, viri erectam imaginem, ex eadem materia constat, uestitu ad talos dimisso ornatam, et manum mulieri porrigentem. Ad cuius pedes in ipsa basi peregrinam quandam et insitam herbae speciem enasci, quam quidem, ubi ad aenei uestitus simbriam exereverit, morbis cuiusque generis medicandi vim et facultatem habere, aiunt. Hanc statuam effigiem exprimere dicunt, quam ad nostram usque aetatem manentem, ipsi ad eam civitatem profecti oculis cernebamus. Sed, uti prior opinio probabilis quidem videri posset, tamen, cum, *Io. XI*, nulla huius *Marthae* eiusque sanationis fiat mentio, quod, procul dubio, ut ex *n. 2, 5, 37*, conicimus, factum fuisset, si *Martha αἰμορροῦσα* illa fuisset, neque pia antiquitas hanc foeminam novit, in medio relinquimus, sic alteram, quam annexa statim fabula suspectam reddit, quis admittat? Tertiam vero ideo dubitamus, quia nec ipse *EVSEBIUS* fidem habuisse videtur narrationi, cum addiderit, *ἄλογον*, dicebant, nec alium testem huius rei adducere poterit, nisi relationem civium ac rumorem illum, quod statuam istam posuerit mulier, per trecentos enim annos altum de hac re in veterum scriptis est silentium. Urget praeterea *DAL- LAEVS Lib. II de Imagin.* verba s. *LVCAE*, *ἥτις, προσαναλάσασα ὄλον τὸν βίον*, deinde hoc, qui factum sit, quod aenea illa simulacra trecentos annos *Paneadis* in publico integra atque inuiolata manserint, neque tam longo tempore persecutoribus Christianorum in mentem venerit, illa ut euerterent, delerentque. Sed, cum possibile sit, ut uel aliquis ad meliorem sortem redire, uel uox *βίος* de reductibus, quos illa quandoque denotat, accipi queat, in primis, cum *CHRYSOSTOMVS, Hom. XXXII* in *Matth.* eam posthaec *opulentam* quoque dixerit, deinde res quaedam diuina providentia seruari possit, quae seruatu impossibilis uideretur, eius hic non urgebimus argumenta, nec ulterius de hac re disputabimus, (Plura si quis desiderat, ipsamque epistolam ad *Herodem* detam, uid. in *b. IO. ALB. FABRICII Cod. Apoc. N. T. p. 252, P. III, p. 449, REISKIUS de Imag. Iesu Chr.*) inquirentes potius in miserae nostrae mulieris reliquam sortem ac conditionem. Dicitur ea *sanguiflva*, siue sanguinis

nis prefluio, et quidem perpetuo, duodecim annos, laborans adeo, ut, iuxta *S. Marcum* et *Lucam*, multa perpessa fuerit a multis medicis, et, infumtis omnibus facultatibus suis, nihil adiuta fuerit, nec ab ullo curari potue. it, uid. de hoc morbo *WEDÉLI* *Exercit. Med. Philol. Disp. II, Decad. V, 145, seqq.* THOM. BARTHOLINVS *de Morbis Bibl. p. 79*, sed in deterius potius uenerit. Haec igitur, de Iesu miraculis audiens, accessit ad eum fidei plena inter populum retro et occulte, quoniam iuxta legem, *Leuit. XV, 24, seqq.* ipsa immunda erat, tum a populo remouenda, quia id, quod tangebatur, immundum erat. Sed tamen aude, cum, scribente *OPRATO Milen. Lib. V contra Parmen. uideret a Filio DEI* tantas celebrari uirtutes, processit in turbam, uidet medicum, uidet et populum. Cogebat illam dolor, ut medicinam peteret, pudor impeditabat, ne causam suam coram masculis indicaret. Inuenit consilium tacta fides. Mittam, inquit, manum meam et tangam simbriam uestimenti huius, et sana fiam. Nemine uidente inter turbas manum misit, sanata est. Nec ausa est indicare, quae ausa non fuerat petere, sed tangere saltem ausa. Tetigit ergo eo maiori fide, quo maior eius erat dolor, quo certior ipsa erat de Iesu iuuandi potentia, prout haec sequentes nos docent uersus, simbriam uestimenti eius. Ad quae uerba *GROTIUS* notauit sequentia, *Videri potest et hic spectari, quod de Messia dicit Malachias IV, 2, כרפא בכנסיא* sanatio in simbriis eius. Nam *Deut. XXII, 12*, quod in Hebraeo est כנפות in *Versione LXX* est *νεασηδον*. Et *Syrus* infra *XIV, 36*, uocem *νεασηδον* uertit כנפא. Videntur autem et hic, et dicto loco *XIV, 36*, et infra *XXIII, 3*, *νεασηδων* nomine *συνεδριου* intelligi filamenta illa ἐν τοῖς νεασηδονς, quae ציצית Hebraei uocant, ut et *Zach. IX, 23*, ubi iidem in Hebraeo est כנף in Graeco *νεασηδον*. Sic dicto *Deuteron. loco* pro Hebraeo נרילום, quod filamenta significat. Chaldaeus posuit כרפא, quae uox est ipsa Graeca *νεασηδον*. Erat autem haec peculiaris nota sanctimoniae Israeliticae. Sed, uti recte *B. CALOVIUS* in *Bibl. III*, iudicauit, locum *Malachiae* hic pro fus alienum esse, scribens, *Quod hic confert e Mal. IV, 2, haecenus alienum est, quia ibi non de uestis Messiae simbriis, sed de alis gratiae eiusdem, sub quibus sanatio nobis est, agitur.* Conf. quae *B. Vir* ad *Mal. IV, 2*, annotauit plura, ita notandum est, quod (cum *LXX* interpretes et *Chaldaeus* in uertendis uocibus a *GROTI* citatis non conueniant, nam u. g.

in

in loco *Deut. XXII, 12, LXX* Versio uocem כַּפֹּת uertit κεῖσπεδον, Chaldaeus autem in eodem uersu גְּרִילִים reddidit כְּרוּצְפָרִין. Quod si igitur textus uertatur ex utriusque interpre is mente, sensus erit, κεῖσπεδα facies tibi super quatuor κεῖσπεδα tegumenti tui, quis non uidet, haec a mente sacri scriptoris aliena esse, et quod alteruter saltem interpres in hoc Deuter. loco recte adhibuerit uocem κεῖσπεδον, alter uero male.) tutius nominis κεῖσπεδον significatus ex lingua Graeca exponatur, quae nos certio rem facit, id insitam, fimbriam, ac peniculamentum, denotare, ΑΘΗΝΑΕΥΣ, *Lib. IV, Πορφύρεα ημφισπέδος, ἔχουσαν χρυσαῖα κεῖσπεδα*, purpurea ueste indutus, habente aureas fimbrias, peniculamenta, insitas, dicitur enim κεῖσπεδον, quasi κερμαμένον εἰς τὸ πέδον, atque eo sensu idem est, quod צִיצִית, *Num. XV, 38, 39*, ab ipso DEO, omnibus demandatum Israelitis. Quocirca nullum dubium est, quin in ipsa ueste Seruatoris istiusmodi צִיצִית fimbria alluta fuerit, ut etiam hac in parte diuinae obtemperaret legi, minime autem asseuerandum est, Iesum gestasse hanc fimbriam eo sine, ut esset peculiaris nota sanctimoniae, quae superstitionis et hypocrisis Pharisaeicae erat, quam ipse Dominus reprehendit, *Matth. XXIII, 5*, prout recte obseruauit dudum CAMERO, ad h. l. scribens, *Fimbriae h. l. sunt, quae גְּרִילִים Hebraice dicuntur. Insit enim DEVS populum Israeliticum uti ueste fimbriata, atque istas fimbrias, ut גְּרִילִים Deut. XXII, appellauit, sic Num. XV צִיצִית eisdem uocauit. Ea uero uocabula Chald. Paraph. reddidit כְּרוּצְפָרִין quae sunt haec κεῖσπεδα fimbriae, quarum Christus hic meminit, quibus etiam Iudaei ad superstitionem usque abutebantur, aucto ribus Pharisaeis. Nam et istis fimbriis assuebant membranam, aut schedam, inscriptam uerbis legis, atque hanc schedam צִיצִית appellabant. Unde unam eandemque rem תַּפְרִין dicunt, quum aptatur capiti, מוּוּזָה quum aptatur uerui ianuae, צִיצִית quum aptatur uesti. Verba eorum sunt כְּרֹאשׁ תַּפְרִין כְּרֹאשׁ צִיצִית וכְּזֵרוּעַ מוּוּזָה כְּפֶתַח צִיצִית כְּסָנַר כְּסָנַר esse fimbriarum. Iam facile est perspicere, quorsum Pharisaei spectarint, dum phylacteria dilatarent sua, et fimbrias suas amplificarent, nempe, ut eo ceteris pietate antecellere uiderentur, quemadmodum inter Pontificios, quo quisque supersticiosior est, eo gestat corollam maiorem et grandioribus globulis.*

Ελεγε γὰρ ἐν ἑαυτῇ:-- σωθήσωμαι. Namque, qua uocula ipsa indicatur causa, cur tangere ausa fuerit Iesum omnium inter foeminas prima, et quidem immunda, quae tamen cogitare debuisset, contactu suo se Christum polluere, sed recte sine dubio cogitsuit, se Iesum, qui sanctus est sanctorum, cuius sanguine omnis caro emundatur, 1 Io. I, 7, ἀναμάρτητος, quem nulla impuritas, omnem nostram impuritatem auferentem, inficere possit, ipse legislator ac Dominus legis, ipseque DEVS, Matth. XII, 8, Luc. I, 35, Io. I, 1, seqq. 14, Rom. IX, 5, Ebr. IX, 26, polluere non posse, siue ut TERTULLIANVS Lib. IV aduersus Marcion. c. 20, disserit, inquit, Fides haec fuit, -- qua sic eum tetigit, non ut hominem sanctum, nec ut Prophetam, quem contaminabilem pro humana substantia sciret, sed ut ipsum DEVM, quem nulla spurcitia pollui posse praesumerat. Quare nulla dubitans, sed credens, dixit non ex inconsiderato zelo, ut MARLORATVS uult, sed fidei instinctu, in semetipsa, i. e. cogitauit, est enim, monente ΒΕΖΙΑ ad h. l. ut scite ait Plato in Sophista, ἡ διάνοια διάλογος ψυχῆς ἀνευ λόγου. Si modo tetigero uestimentum eius, sanabor. Sed, si uestimentum tangere desiderauit, aiunt, cur fimbriam tetigit, et, cur non suam in ipsius domum, sicut Iairus, Iesum inuitauit, quamuis adhuc, ut CHRYSOSTOMVS in h. l. Homil. XXXII, asserit, opulenta esset, et respondemus quoad hoc, aut indignam, instar centurionis istius, Matth. IX, 28, sese iudicauit, in cuius domum Dominus ingrederetur, ideoque ipsa uenit, aut censuisse uidetur, id, quod ipso momento fieri possit, non protrahendum esse, inprimis cum occasio adesset opportuna, qua afflictione sua liberari posset, quoad illud uero, affirmamus, a) quod recte illa uestimentum attingisse dicenda sit, quando fimbriam, attingit, quia fimbria pars uestis est, unde s. MARCVS, c. V, 27, ἱματίου non χειροπέδου, uoce usus est, scribens, ἐπιθεν ἤψατο τοῦ ἱματίου αὐτοῦ, b) quod, ideo cum primis fimbriam attingisse, dici possit, quia sanctior credebatur pars uestimenti esse fimbria, quauquam, si ipsus ad fidem respiciamus, uix illa, discrimen quoddam in tangendo selegisse, uidetur, cum uirtutem sanandi ex Christo eliciisset, quemcumque locum attingisset uestimenti.

Ο δὲ Ἰησοῦς -- ἀπὸ τῆς ὕψους ἐκείνης. Iesus autem, postquam mulier eum attingerat, et fluxus eius steterat ac statim fons sanguinis exsiccatus fuerat, eaque senserat corpore, quod sanata esset a flagello, statim cognoscens in se ipso eam uirtutem, quae ex ipso egressa erat, conuersus ad populum dixit, qui me meaque uestimenta tetigit. Negantibus autem omnibus, dixit Petrus et, qui cum ipso, discipuli. Domine, uides populum comprimentem te et effigentem, et dicis, qui me tetigit? Iesus autem respondit, tetigit me aliquis, ego enim sensi uirtutem, egredientem a me. Quare circumspiciebat, ut uideret eam, quae hoc fecerat.

Videns

*Videns autem mulier, quod non lateret, timens ac tremens, cum sciret, quid factum esset in se ipsa, venit, et procidens, et annunciauit ei coram omni populo, propter quam causam tetigisset eum, dixitque ei omnem ueritatem, et quod sanata fuerit confessum, prout haec omnia totidem uerbis enarrantes suppleuerunt s. MARCUS, c. V, 29, seqq et s. LUCAS, c. IIX, 44, seqq. Videns igitur Iesus ipsam mulierem, fidei istam heroinam, dixit ad eam, contremiscentem et timore percussam, mansueto ore et solatii pleno. *Θάρα, confide, conf. Hierocrit. N. T. p. 125, bono animo esto, nec timeas, quod sanitatis effectum, ut EULGENTIVS Lib. II ad Trajan. Reg. loquitur, fidei raptu furatus tibi sis, putans, haec me latere, qua in parte uti nondum de me recte sensisti, auctore CHRYSOSTOMO ad h. l. ita hanc infirmitatem tibi ignosco, es in gratia, audi gratiae uocem, filia, Io. I, 12, Rom. IIX, 14, seqq. confide filia.* Sed, cum Dominus pro sua omniscientia, sciret mulieris metum et cordis angustias, quia manifestabatur, quae malebat latere, cur non eam latere passus est? Respondet ad haec questionem CHRYSOSTOMVS Hom. XXXII, Matth. IX, 22, inquit, *Non passus est eam latere Christus, sed produxit in medium, et omnibus rem multis de causis fecit manifestam, quamuis nonnulli stolidi ambitione ipsum commotum id fecisse autument. Cur enim, aiunt, non passus est eam latere? Quid aias tu omni scelere scelerior homo? Qui imperat tacere, qui millia signa transcurrit, ambitione laborat? Sed cur, ais, in medium duxit? Primo, ut ab omni formidinis foeminam liberaret, ne conscientiae stimuli quasi furata sanitatem, moerore exagitaretur? Deinde, ut fidem ipsius corrigeret, quae, se latere posse, putauit. Denique, ut fidem eius manifestam faceret, ut alii eam possent imitari. Praeterea non est minus signum secreta cordium scire, quam flumina sanguinis coercere. Postremo, principem synagogae uoluit confirmare, ne incredulitate omnia corrumpere. Venerant enim, qui dicerent, neli molestus esse magistro, mortua iam puella est, et, qui erant in domo, deridebant ipsum, dicentem, quoniam dormit. Et ne pater simile quid pateretur, ipsius imbecillitatem fulciens in medium mulierem producit. Ne uero foemina nimis affligeretur metu, erigit eam blande alloquens. Confide filia, salua eris, fides enim tua, qua me tetigisti, non uestis mea, te sanauit, uti corpore, sic anima, Io. I, 12, III, 16. Et seruata est, quam alias perire oportuisset, quia nemo eam curare poterat, cuius fluxus iam ipso factus momento deserat exsiccata, et per omnem uitam reliquam salua nouas resumit uires, ab eo tempore, nec unquam hoc malum rediit. Nam Sospitator de integro confirmabat eius sanitatem, inquit, *Vade in pace, et esto sana a flagello tuo, Marc. V, 34.***

imedi XI

ΠΡΟΣΟΙ-

Π Ρ Ο Σ Ο Ι Κ Ε Ι Ω Σ Ι C

- I Quam misera et calamitosa est uita humana! Curae, metus, aerumnae, morbi, et postremo mors, sunt certi eius comites, *Ecc. XL, 1, seqq.*
- II Eo pluribus quidem et grauioribus sexus sequior est obnoxius morbis, quia in transgressione fuit Eua, *Gen. III, 16, 1 Tim. II, 14*, eos tamen lenit, aut tandem iis liberat, Dominus, si precibus ad eum accesserint. Ad hunc igitur confugiendum iuxta *πρὸς οὐκ. III* ad uers. anteced.
- III Quamquam auxilium Domini quandoque differtur tamen non aufertur, *Io. II, 4, V, 5, seqq. Luc. XIII, 11-13, Ebr. XIII, 5, Ies. XLIX, 14, 15, LIV, 7*, Quare supplicia spera et expecta horam Domini, tandem ueniet, *Pf. L, 15, CXXX, 1, 2, 5, seqq. Hab. II, 3*, itaque, qui lacrymis seminat, laetus metes, *Pf. CXXVI, 5, Ies. XXXIIX, 14, 17.*
- IV DEVS pro sua sapientia hunc illo grauius castigare solet, paterno tamen more, *Ebr. XII, 5, seqq.* Hinc noli obmurmurare, neque crucis impatiens esse, quae, ut ad Dominum accedas, te inuitat, *Ies. XXVI, 16*, conf. ad uers. anteced. *πρὸς οὐκ. VI*
- V Cum humanum auxilium desinit, DEI incipit. Quos nullae herbae sanant morbos, DEVS sanat, *Ier. XIX, 22, XXX, 12, XXXIII, 6*, fide saltem ad eam confuge, *Matth. XV, 28, Marc. IX, 23, 24, Luc. IIX, 50, Io. IV, 50, Iac. I, 6.*
- VI Vt fides non est cuiusuis hominis, 2 *Thess. III, 2*, sic in illis illa, qui infirmi uidentur, firma saepe reperitur, *Matth. IIX, 10, XV, 28*. Quilibet ergo eo contendant, ut fide crescat ac firmus fiat, *Rom. IV, 19, 2 Cor. X, 15, Col. II, 5, 2 Thes. I, 3*, nec in iudicando de aliena fide sis praeceps.
- VII Noli timere credens, qui ad Christum accessurus es. Audi paternam eius uocem, *confide filia*, confide fili, qua, ut ad se accedant, inuitat ipse, *Matth. XI, 28, Io. VII, 37.*
- IIIX Si cupias, afflicte, ut Dominus ad te gratiose respiciat, tu etiam fidei manibus attinge et tene eum, *Gen. XXXII, 26.*

I X Domi.

IX Dominus cum omnia uideat, *Ebr. IV, 13*, tuam quoque afflictionem ac fidem eum uidere, *Pf. X, 14, XXXIII, 18, XXXIV, 16, Ier. I, 5, V, 3*, illoquere breui liberaturum esse, crede et spera, *Ies. LIV, 7, Luc. XIII, 7, 8, Rom. V, 4*.

X En fidei efficaciam ac uirtutem, quae animam ac corpus sanat. Vid. de haec fidei efficaciam plura ad uersum 23 *Euang. Domin. Remittere*, tum in *ἐξεγείσει*, tum in *προσοικ. I, seqq.*

V E R S U S 23 ET 24

23 Καὶ ἔλθων ὁ Ἰησοῦς εἰς τὴν οἰκίαν τοῦ ἀρχοντος, καὶ ἰδὼν τοὺς ἀδελφούς, καὶ τὸν ὄχλον θορυβώμενον, 24 λέγει αὐτοῖς· Ἀναχωρεῖτε· οὐ γὰρ ἀπέθανε τὸ κορψίον, ἀλλὰ καθεύδει· καὶ κατέβλεψεν αὐτοῦ.

Post haec ueniens Iesus in domum principis, et uidens tibicines, et turbam tumultuantem, dicit ipsis. Recedite. Non enim mortua est puella, sed dormit. Deridebant autem eum.

ΕΞΗΓΗΣΙΣ

Καὶ ἔλθων ὁ Ἰησοῦς — λέγει αὐτοῖς. *Post haec, cum Iesus sanguinam mulierem sanasset, et adhuc eo loquente cum illa, nuntii quidam ad praefectum synagogae, puellae parentem, aduenissent, haec referentes, cum filia tua mortua sit, quid amplius sollicitas magistrum? Noli eum uexare, Iesus autem, hoc nuncio audito, statim dixisset ei. Ne metue, solum crede, et seruabitur, Marc. V, 35, 36, Luc. IX, 49, 50, progressus est cum laico, et ueniens ad domum principis, a solo Petro, Iacobo, et Iohanne comitatus, non enim admiserat alium quendam, qui se consequeretur, nisi Petrum, Iacobum, et Iohannem, fratrem Iacobi, Marc. V, 37, et uidens tibicines, quos recentiori tempore Iudaei in funeribus adhibuerunt ad luctum excitandum, a gentilibus hanc consuetudinem mutantes. Et quamuis GROTIUS existimauerit, eos falli, qui a profanis gentibus morem hunc ad Hebraeos uolunt deductum, tamen, post SCHICKARDVM, HAMMONDVS in *Not. N. T. ad h. l. QVNSTEDIVS de Sepult. Veter.* alique copiose ostenderunt, *Grotium omnino fefelisse, e quibus HAMMONDI uerba repetere hic liceat, scribentis, Haec consuetudo musicis instrumentis in funeribus utendi ad Iudaeos ab Eibnicis fluxit. Nam, quamuis in Mischna Tit. Cheraboth. c. IV, R. Iehuda dicat, funus uxorum subsequi instrumenta praeter eos, qui plangendi causa conducebantur, hoc testimonium, quod est posterioris aevi, uti nec testimonium Euangelistarum, non probat, id antiqui**

antiquis temporibus in usu inter Iudaeos fuisse. Huius certe consuetudinis nulla occurrit mentio in V. T. Solebant quidem lugere mortuos, Eccl. XXII, 10, eos commendare, ut excitarentur superstitēs ad eorum virtutes imitandas, vel ut breuitatem uitae ad animum reuocarent, Eccl. VII, 2. Sic uidemus in Actis, uidas ostendere uestes, quas Tabitha, dum uiueret, pauperibus largita fuerit. Aliis etiam ceremoniis utebantur, quae occurrunt Ez. XXIV, 17, et Ier. XVI, 6, 7. Incidebant carnem, caluitium sibi inducebant, (quoniam haec interdēta erant, Leuit. XIX, 27, 28. Deut. XIV, 1,) denique comitio uictuos excipiebant, quod in Ezechiele uocatur comedere panem lugentium, sic enim melius uertitur ΠΑΝΝ quam hominum, in Ieremia uero frangere lugenti panem ad eum consolandum, et, ut sequitur, dare calicem consolationis ad bibendum. Sic Iosephus de Archelao, Αλωσ. Lib. II, πενήθρας ηύτας επτά τον πατέρα και την ενταφίον έστιασιν πολυτελή των πλήθει παρεχόν, cum Patrem per septem dies luxisset, et splendidam funebrem coenam populo praebuisset, addiditque, hoc more multos Iudaeos ad paupertatem redactos esse, quia se ferre necessario obseruandus erat, nisi quis uellet parum pius haberi. Sic occurrit cibus lugentium, Hof. IX, 4. Sed nulla est, hisce temporibus, mentio symphoniae in funeribus, imo contra musica instrumenta in luctu numerantur inter άκαιρα, Eccl. XXII, 6. Cantus lamentationis habebant, Ier. IX, 17, XXII, 18, XXXIV, 5, Amos. VI, 25, addatur 2 Chron. XXXV, 25, sed canbant assa uoce, non iunctis instrumentis, ut ait W. Schickardus de Iure Reg. p. 162, reliqua. Conf. plura in Dissert. D. IO. ZACHARIAE HILLIGERI, de tibicinibus, in funere adhibitis. Certissimum ergo signum erat, funus adesse, quando tibicinum audiebantur cantus lamentabiles. Atque hinc quilibet quoque credebar, lugubrem audiens musicam, puellam praefecti esse mortuam, atque efferendam, solus sospitator aliter sentiebar, patri filiam restituros, idcirco uidentis ille tibicinis eosque audiens, itemque turbam tumultuantem, sine strepentem, nec non flentes, plangentes, et eiulantes uehementer, Marc. V, 38, Luc. IIX, 52, qui omnes, defunctam esse puellam, erant testes, eorumque eo plures erant, quo splendidior erat gens ac familia defunctae, ingressus est in domum, ut nunc diuinitatis suae opus ederet miraculosum, et dicit ipsi omnibus, qui aderant, tom turbae, quid strepitum facitis, tum e gnatīs domesticis ac reliquis, quid flētis, Marc. V, 39, nolite flere, Luc. IIX, 52. Frustra enim tumultuamini, frustra flētis, quare mox abite.

Αναχέρετε -- και κατέγειλον αυτοδ. Discidite hinc confestim, quia praesentiam uestram hic dies non requirit. Non enim mortua est puella, sed dormit. At, quo sensu haec dixerit Dominus, dudum quaesitum, a que respon-

responsam fuit ab aliis, quia mors nihil aliud fit, quam somnus, somno naturali atque usitato longior, unde Graecis etiam mortui dormire et ipsa mors ac somnus fratres dicebantur, ab iisque in uno eodemque templo fuerunt culti, vid. *Vindiciae* N. T. p. 122, seqq. Sed tamen hic, alio et singulari sensu, dicendi haec formula usum fuisse Sospitorem, Dominum vitae et necis, Io. V. 21, Act. III, 15, omnino videtur, prout recte quoque scripsit b. CALOVIVS in *Bibl. Ill.* ad h. l. iniquens, *Neque uero est absimile singulari sensu de iis, quos mox excitaturus Christus erat, hac formula usum ipsum esse, nempe quod dormirent SIBI statim a se sola uoce, uel acclamatione, excitandi. Esi enim uere mors nostra nihil aliud fit, quam ὄσνος τοῦτοῦ τοῦ ἐν σωματι κατὰ ἄετος, somnus!* hoc usitato longior, docente hic CHRYSOSTOMO, uid. *1 Cor. XI, 20, XV, 20*, nihil tamen obstat, quo minus hic peculiare quid inuatur. Nam ut singulari eorum fuit resuscitatio, quia non in gloriam, nec incorruptibilitatem, sed in mortem aliam suscitabatur haec puella, dicente TERTULLIANO, Lib. de resurrex. carn. sic de morte etiam talium breui resuscitandorum peculiari modo dicebatur, quod non mors fit, sed somnus. In qua sententia praeter HIERONYMVM, THEOPHYLACTVM, aliosque, HILARIVS fuit, scribens, quia mors puellae apud se somnus esset, itemque GLOSSA Ordinaria in h. l. *Kolis mortua est, DEO autem, qui resuscitare potest, dormit tam in anima, quam in corpore, et in Marc. V, 39, Non est mortua mihi, in cuius dispositione et anima recepta uiuit, et caro suscitanda quiescit.* Vt ergo, hoc sensu Dominum uerba sua accepisse, tuemur, sic causam in primis, cor illa prouulerit, fuisse, ut eorum, qui praesentes erant, exploraret sententiam de uera puellae morte, ipsique huius miraculi testes essent, ne id in dubium uocare possent hostes, siue ut CHRYSOSTOMVS ait, *Testes suos esse uolebat Christus derisores, qui probarent, uere defunctam fuisse puellam, ne quicquam, cum praetextu, excipere contra miraculum, mox edendum, possent, in syncope, aut deliquit maior quodam, constitutam uirginem obtulisse uisam, mortuam autem uere non fuisse.* Id quod euenit etiam. Nam, cum ipsi certo scirent certius, puellam reuera esse mortuam, contra uero Sospitatoris uerba non intelligebant, nec ab eo eiusmodi miraculum expectabant increduli, deridebant eum, scientes, quod mortua esset, ut s. Lucas IX, 53, haec uerba addidit. Vtrum uero inter hos derisores Iairi domestici fuerint, uti nemo euincet, sic probabile non uidetur, domum Iairi fuisse Sadducaeis, ut GROTIO uisum fuit, confutato a b. CALOVIO in *Bibl. Ill.* ad h. l. scribente, *Vnde hoc colligitur, quod Sadducaeorum sectae addicta domus Iairi fuerit? Temeraria est haec praesumptio de uiro tam insigni, scholae direttore, cuius fides hic praeclare eluxit, quod non rectius familiam suam informarit in his, quae ad τὰ σοφία τῆς ἀρχῆς*

τῶν λογίων Θεοῦ, et ad ipsum Θεμέλιον religionis, proprio Ebraeorum iudicio, spectabant, quale erat caput doctrinae de resurrectione mortuorum, Ebr. V, 12, VI, 12. Etsi ergo adessent, qui Christum dicentem, non est mortua puella, sed dormit, irriderent, non tamen id de ipsa domo et familia Iairi praesumendum, quae Sadducaeorum more negavit resurrectionem mortuorum. Et deridebant illi eum, quod putarent, se rectius scire, ipsam vere mortuam esse, non solum dormire, non quod censerent, nunquam resuscitatum iri, aeternum in morte mansuram.

Π Ρ Ο Σ Ο Ι Κ Ε Ι Ω Σ Ι C

- I En fortis varietatem, hodie iobelamus, cras eiulamus, hodie ualemus, cras aegrotamus, hodie, instar rosae, floremus, cras morimur. Memento ergo harum rerum uicissitudinem, et discere sapere, *Ps. XC, 13.* Conf. ad uers. 18 *περσοικ. 1V*
- II Ut laetitiae, sic tristitiae, modus est habendus, ne his similes uideamur, qui nullam spem habent, *1 Thess. IV, 13.* Prout ergo Christianos decet, est gaudendum aequae ac lamentandum, *1 Cor. VII, 29, 30, 2 Cor. IV, 4, seqq. VI, 10, Phil. IV, 4.*
- III Licet quidem mortuos suos deslere, *Gen. XXIII, 3, XXXVII, 3, Deut. XXI, 13, XXXIV, 8, Matth. II, 18, Luc. XXIII, 27,* eosque honeste, prout uniuscuiusque provinciae est consuetudo, sepelire, *Gen. XXIII, 4, seqq. XLVII, 29, 30, L, 2, seqq. 1 Reg. II, 10, XIV, 13, 2 Chron. XXXV, 25, Io. XIX, 40, 41, Act. IIX, 2,* cauendum tamen, ne uel sepulturae prodigantiae indulgeas, uel dolor nimius sit, iuxta *περσοικ. anteced.*
- IV Inquies cum sit, cum nascimur, inquies, cum uiuimus, inquies, cum morimur, *Iob. XIV, 1, seqq. Syr. XL, 1, seqq.* noli mortalis, cum mortuum sepelias inquietem tuam cumulare uanis ceremoniis, uana pompa, uana prodigantia, sed pie et honeste eum sepeli, iuxta *περσοικ. anteced.* ut tecum alii mori discant, ut amorem tuum in mortuum cognoscant, mortuique memoria sit benedicta.
- V Si uis, ut Christus in cor tuum ingrediatur, teque mortuum, tum in hac uita resuscitet, *Io. XIV, 23, Eph. V, 14,* tum in extremo iudicio, *Io. VI, 44,* uani-

vanitates ad tumultus mundi, carnisque concupiscentias ex eo secedere iube, 2 Cor. VI, 16, 1 Io. II, 15, seqq.

VI Cum piis mors sit somnus, quo quiescunt a suo labore, Ies. LVII, 1, 2, Dan. XII, 2, 13, Apoc. XIV, 13, cur horrescis mortem? Cur non potius lactus eam expectas atque appetis? Luc. II, 29, Phil. I, 21, 23, Komm, o Tod, du Schlafesbruder, cetera.

VII Si Christum deriserunt homines, noli mirari, si idem tibi euenerit, non melior es Domino, Matth. X, 25, Luc. XXIII, 31.

IX Ne statim derideas id, quod in rebus fidei capere non potes, uel tuae rationi minus probabile uiderur, sed crede, quod Deus plus facere possit, quam tu comprehendere possis, Ps. CXXXIX, 6, Eph. III, 20.

VERSUS 25 ET 26

25 Οτε δε εξεβλήθη ο ὄχλος, εισελθὼν
 ἐλατῆρας τῆς χειρὸς αὐτοῦ, καὶ ἤγα-
 26 θη τὸ κοράσιον. Καὶ ἐξῆλθεν ἡ Φύ-
 μη αὐτῆ εἰς ὅλην τὴν γῆν ἐκείνην.

Cum uero eiecta esset turba, ingressus
 apprehendit manum eius, et surrexit
 puella. Et exiit fama haec in uni-
 uersam terram illam.

ΕΞΗΓΗΣΙΣ

Οτε δε εξεβλήθη ο ὄχλος -- τὸ κοράσιον. Cum igitur, uti, iuxta uer-
 sum antecedentem, iusserat Dominus, emissus esset populus, cum tibicinibus,
 quoniam impedimento partim erant increduli, partim indigni, scribente
 HIERONYMO, ad h. l. ut uiderent mysterium resurgentis, qui resuscitantem
 indignis contumeliosis deridebant, tunc ingressus est Iesus cum Petro, Iacobo, et
 Iohanne, assumtis simul parentibus puellae, Marc. V, 37, 40, in eam locum, in quo
 erat puella sepulta, et apprehendit manum eius, prout cum dormientibus agere
 solemus, et parens ipsum, ut manum suam imponeret, rogauerat, uid. supra,
 u. 18, acclamauit, dicens ei, Luc. IX, 54, ταλὶθὰ κοῦμι, quod est Syriacam
 ἰθαλθῆ et a κοῦμι, interpretaturque a s. MARCO, Puella, tibi
 dico, surge, cap. V, 41, et confessim, hoc uerbo omnipotentiae pronunciatu,
 quo omnia creauit, Gen. I, 3, seqq. omnia fert, et omnia conseruat, Ebr. I, 2,
 quoue

quodue mortuus aliquando resuscitabit omnes. *Io. V, 25, 28, 29. redit Spiritus eius, Luc. IIX, 55, atque surrexit, inter tres a Christo resuscitatos mortuos, secunda et una sexus sequioris persona, uid. Luc. VII, 14, 15, Io. XI, 43, 44, puella, quasi de somno, et ambulabat, Marc. V, 42, praetereaque, ne ullum remaneret dubium parentibus, sed illi aequae, ac reliqui, convincerentur, reuera uiuere puellam, eamque bene ualere, ab omni infirmitate liberatam, nec, phantasmatae quodam se eludi, putarent, praecipit ipsi dare cibum ad manducandum, Luc. IIX, 55. Atque in hanc sententiam dudum scripsit AMBROSIVS in Luc. IIX, inquit, Tenens ergo manum puellae Iesus sanauit eam, et iussit ei dare manducare. Quod est testimonium uitae, ut non phantasma, sed ueritas crederetur, itemque CHRYSOSTOMVS in hunc Matthaei locum, aiens, In praesentia parentum signum operatus est, non aliam in corpus introducendo animam, sed eandem ipsam animam, quae a corpore exierat, ita facile reduciendo, ut quasi a somno excitasse uideretur. Manu autem ipsam accepit, ut uisu ipso certiores fierent, qui cernebant ipsam a morte, quasi a somno, excitationem. Et pater quidem dicebat, manum impone. Ipse uero manus quid fecit. Non enim imponit manum, sed apprehendit et resuscitat. Et ne phantasma resuscitatio uideretur, cibum iubet dari puellae, nec dedit ipse, sed alii. Sic etiam in Lazaro fecit. Soluite, dixit, eum, et dimittere abire. Deinde mensae suae participem accepit. Vtrumque certe simul comprehendere solebat, mortem atque resurrectionem ueram fuisse exquisitissime undique confirmans. Quae ceterum de animae statu, in quo illa post mortem puellae, duodecim annos natae, Marc. V, 42, fuerit, dici possent, ea uid. ad p. 15 Domin. XVI post Trinit. adducta.*

καὶ ἐξῆλθεν ἡ ὄψιν αὐτῆ εἰς ἄλην τὴν γῆν ἐκείνην. Quo factō exiit de hoc miraculo, quo secunda uice resuscitauerat mortuum ἀνεζωστας, cui haec potestas secundum humanam naturam erat data, quam iuxta diuinam naturam habebat per essentiam, *Io. V, 21. seqq. fama haec, quae uix supprimit poterat, ob frequentem populum, qui adfuerat et quam certissime sciebat, puellam mortuam fuisse, nunc uero uiuentem uidebat eam, interim tamen Iesus praeeperat parentibus, qui hoc miraculo admodum uehementer obstupuerant, ne ulli dicerent id, quod factum erat, Luc. IIX, 56, cuius rationem allegare solent alii, quia id euulgandi nondum tempus uisum fuisset Iesu, alii, ne uideretur gloriam aucupare, alii, ut inuidiam effugeret, alii denique ad tempus saltem, donec discessisset, prohibuisse huius miraculi manifestationem, aiunt. Nobis uidetur, satius esse de causis, quas inquirere non possumus, tacere, quam earum quasdam, de quibus, utrum uerae sint, nihil constat, proferre in medium. Sufficiat ergo, Dominum causas habuisse, cur miraculi manifestationem interdixit*

dixerit parentibus, non uero reliquo populo, cuius adeo praeconio *exiit fama haec*; alii legere malunt *αὐτοῦ* scilicet Christi, *Aethiopicum* secuti interpretem, et unum, obseruante *BEZA*, codicem, ita legentem, alii uero cum *Arabe αὐτῆς* scilicet *puellae*. Sed, cum codices reliqui et interpretes receptam probent lectionem, in ea persistimus, ac uertimus, *fama haec*, quod puellam a mortuis resuscitauerit uoce, *exiit in omnem terram illam Galilaeae*. Atque dehinc, procal dabo, in reliquis quoque regiones circumiacentes.

ΠΡΟΣΘΙΚΕΙΩΣΙΣ

I Increduli non sunt digni, ut *μεγαλεία* Domini uideant, eorumque testes sint, nihil enim commercii habet incredulitas cum Christo, hinc eiicitur ex eo loco, ubi commoratur Iesus, *2 Cor. VI, 14, seqq.* Eiice ergo eam tu quoque ex tuo corde, quod templum DEI est, *1 Cor. III, 16*, ne ipse cum ea simul a Domini facie remouearis, *Matth. XXV, 41*. Eiice mundum, ut Christus ingrediatur, *Iac. IV, 4*.

II Christus cum sit Dominus uitae et necis, *Deut. XXXII, 39, Io. V, 21, Act. III, 15, Apoc. I, 18*, te quoque aliquando a mortuis, iuxta promissionem suam, resuscitaturum esse, crede, *Io. VI, 40, XI, 25, 26, conf. 1 Cor. XV, 21, 22*. Si enim ex puluere terrae hominem creauit uiuentem, is certe ex hominis puluere eo facilius hominem in uitam reuocabit, *Iob. XIX, 25, seqq. 1 Cor. XV, 35, seqq.*

III Quid dubitas de resurrectione, incredule? Si Christus uoce sua hoc uniuersum creauit ex nihilo, *Gen. I, 3, seqq. Io. I, 1, seqq. Rom. IV, 17*, si conseruauit omnia, *Ebr. I, 2, 3*, si te formauit, tibiue uitam dedit, *Iob. X, 8, seqq. Ps. CXXXIX, 13, seqq.* nonne idem ille te in extremo iudicio in uitam uocare poterit uoce sua? *Io. V, 25, 28, 29*. Anne manus eius abbreviata est? *Ies. LIX, 1*, Conf. *προσθικ.* antecedens.

IV Quod Christus praecipit, id fit, *Pf. XXXIII, 9*, hinc discis, quod, ut hic mortuam reuocauit in uitam praecipiendo, sic etiam, in extremo iudicio, omnes mortui eius uocem audient, eique obsecuturi e sepulchris prodibunt, *1 Theff. IV, 13*, uid. *προσθικ.* antecedentes.

V Vti,

V Vti, famam magnalium et miraculorum Domini in omnem exiuisse Galilaeam, edocemur, sic illa pariter, atque Evangelica doctrina posthac praeconio Apostolorum et Scripturae S. in omnem exiit mundum; *Pf. XIX, 5, Rom. X, 18.*

VI DEI gloria et opera cum sint enarranda atque celebranda, *Pf. IX, 2, XL, 6, XCVI, 3, CV, 1, seqq.* noli tu, o homo, ea reticere, nec beneficiorum diuinorum obliuisci, *Pf. LVI, 2, seqq. CIII, 1, seqq. CV, 1, seqq.* ne ipsis inanimatis inferior sis creaturis, quae Deum sua existentia, suis operibus, suo cantu, suis fructibus, suo flore, et quae id genus sunt alia, laudant, *Pf. XIX, 2, 3, CIII, 21, 22, CXLIX, 1, seqq.*

VII Eo contendat quilibet, ut de se bonorum, non malorum, operum fama exeat, nisi in uniuersum mundum, aut totam regionem quandam, tamen in ciuitatem suam, in qua habitat, *Ruth. III, 11, 1 Reg. X, 1, 24, Act. IX, 36, 39.*

IX Christi estote imitatores in bonis operibus, ut sunt misericordiae, charitatis, longanimitatis, iustitiae, cet. *Matth. V, 44, 45, Luc. VI, 36, Eph. V, 1, 2, et tunc laudem estis consecuturi a Domino atque hominibus, Matth. XXV, 40, Rom. XIII, 3, 2 Cor. X, 18. conf. προσοικ. antecedens.*



CAPVT II

QVO

EVANG. DOMIN. XXV POST TRINITATIS

MATTH. XXIV, 15 — 28, EXTANS

ILLVSTRATVR

VERSVS 15 — 18

15 Όταν οὖν ἴδητε τὸ βδέλυγμα τῆς ἐρημώσεως, τὸ ρηθὲν διὰ Δανιὴλ, τοῦ προφήτου, ἔσως ἐν τόπῳ ἁγίῳ, (ὁ ἀνα-
16 γνώσκων νοεῖται.) τότε ἐν τῇ Ἰουδαίᾳ
17 φευγέτωσαν ἐπὶ τὰ ὄρη. Ὁ ἐπὶ τοῦ
δαμάτου μὴ καταβαίτω ἀρεῖ τι ἐκ
18 τῆς οἰκίας αὐτοῦ. Καὶ ὁ ἐν τῷ ἀγρῷ
μὴ ἐπιστρέψατω ὀπίσω ἀρεῖ τι ἰμάτια
αὐτοῦ.

Quando ergo uidebitis abominationem desolationis, dictam per Danielem Prophetam, stantem in loco sancto, (Legem attendat.) tunc in Iudaea fugiant ad montes. Qui super domum, non descendat tollere aliquid ex domo sua. Et qui in agro est, non reuertatur retro tollere uestimenta sua.

ΕΞΗΓΗΣΙΣ

Όταν οὖν ἴδητε — γνώσκων νοεῖτο. Quando igitur, ut uocula οὖν ad u. 1, seqq. respicit, qui nos docent, quod discipuli cum Sospitatore collocti fuerint de templo, eique occasionem dederint ad uaticinium de excidio Hierosolymorum eiusque templi, ut et de consummatione saeculi, edendum, sic Dominus discipulos instituit, uaticinium istud, post praeconium Evangelii, in uniuerso mundo factum, iri completerum, ut sensus sit, quando igitur, post redemptionem et ascensionem meam in coelos, cum sedebo ad dextram DEI, audietis tum de bellis bellicae rumore, de pseudochristis, aliisque calamitatibus, iuxta uersum 3 et sequentes, tum cognoscetis, quod nos persecuti fuerint, et Euangelium a uobis aliisque praeconiis praedicatum fuerit in uniuerso terrarum orbe, prout uobis praedixi, iuxta u. 14, tum denique, quando uidebitis, quam oculus meus iam praeuidet, abominationem desolationis, tunc Hierosolymis eiusque templo imminet excidium. Hanc uero abominationem desolationis esse exercitum Romanorum, homines, ob idololatriam, abominabiles, et aduenientes ad deaustanda Hierosolyrna, ut S. Lucas exponit, cap. XXI, 20, iniquens, όταν δὲ ἴδητε κυκλομένην ὑπὸ στρατοπέδων τὴν Ἱερουσαλήμ, τότε γινώτε, ὅτι ἤγγικεν ἡ ἐρημωσις αὐτῆς, et cap. XIX, 43, Ἡξουσιν ἡμεῖς ἐπὶ σε, καὶ περιβαλοῦσιν οἱ ἐχθροὶ σου χιτῶνά σου, καὶ περισκελοῦσί σε, καὶ συνέξουσὶ σε παντοθεν. Conf. quae ad haec uerba Domin. X post Trinit. sunt notata. Intelligitur ergo per

D

βδέ-

βδελυγμα τῆς ἐρημώσεως, i. e. abominationem desolantem, vid. *Vindic.* p. 214. sqq. siue rem abominabilem et desylatricem, idololatricus Romanorum exercitus, qui extra ciuitatem castra posuerunt, et signa sua militaria abominanda, in quibus alia Iouis, alia Martis, alia Mineruae, alia Fortuna, alia Aquilae, alia aliorum numinum, siue idolorum, quae in sacris dicuntur βδελυγμα, gerebant effigiem. Hinc Iudaei aequo animo ea non ferebant, uti ex IOSEPHO est intelligere, qui refert, quod, cum Vitellius contra Aretam copias per Iudaeam ducere pararet, Iudaei deprecati fuerint, quia contra patrias esset leges περιεργῶν εἰκόνας εἰς αὐτὴν φερομένας, πολλὰς δ' εἶναι σμικροῖς ἐπιχειμένας, conspiciere imagines in ipsam illatas, quoniam multae earum in signis essent, quibus, si lubet, facinora ac scelera illa abominanda adiungas, quae intra ciuitatem committebant Zelotae, sanctam ciuitatem ac templum homicidiis profanantes ac dosolantes, de quibus uid. IOSEPHVS de Bello Iud. Lib. II, c. XXII, Lib. IV, c. III, Lib. V, c. II, Lib. VI, c. I, seqq. Lib. VII, c. VII. Non ergo de rebus abominandis remotioribus, sed proximis, iisque ciuitati sanctae ac templo desolationem minitantibus, Sospiratori sermo est, quemadmodum bene haec ex b. GERHARDI Harm. Euang. c. CLX obseruauit b. CALOVIUS, in *Bibl.* III, ad h. l. cuius malo uerbis rem explanare, quam meis, quae haec sunt, De signo proximo et conspicuo, imminētis excidii sermo est Christo, deque excidio, quod finem allaturum erat urbi et statui uniuersae Iudaeae, politicae tum civili, tum Ecclesiasticae. Signum ergo illud non potest intelligi statua, uel imago quaedam, in templo, uti de statua Iouis Olympii et idolis Antiochi Epiphani, ac propnatione templi per ipsum facta, I Macc. I, IOSEPH. Antiquit. Lib. XII, c. VII, nonnulli interpretantur, alii de Herodis aurea aquila super maximam portam templi posita, apud Iosephum Lib. I de Bello Iud. c. XXI, alii de Tiberii Caesaris insignibus et imagine a Pilato, post Christi passionem, in ipsum Sacrarium illata, et Iosepho Lib. XIII Antiquit. c. IV, (qui uero nihil habet de eo, quod in templum, nedum sacrarium, illata sit, saltem ad legis contumeliam in urbem illatam dicit, I. c. et Lib. II de Bello Iud. c. IIX, quod repetit Eusebius Lib. II H. E. c. VI.) alii de statua Caligulae, successoris Tiberii, quae tamen ne inferretur templo, Petronii, praefidis Syriae, et Aristoboli prudentia et intercessione declinatum fuit. Nam haec omnia longe ante illa tempora, de quibus Christus agit, pleraque etiam ante hunc sermonem Christi contingere, utpote factum Antiochi, Herodis, et Pilati. Caligulae etiam tempore tam praecipis fugga, quem Christus praeficit, nondum necessaria fuit. Adde, quod talibus prophanatum quidem templum fuerit, non autem facta sit desolatio. Hic uero de abominatione desolante sermo sit. Neque signum hoc de peccatis sacerdotum explicandum, quae uere quidem abominationes erant, *Leuit.* XIII, 26, Deut.

Deut. VII, 25, XIIX, 9, Prou. XI, 1, Ier. XI, 13, et causa desolationis, sed nec tam manifesta omnibus, utpote hypocrisis testa, nec immediate et proxime artecedebant excidium, sed diu uiguerunt in urbe. Nec de prophanatione templi per sacrificia, quae post mortem Christi abominaciones fuisse, haec accipienda cum Dionysio Carthuf. et Auctore histor. Schol. in cap. X Daniel. Nec de prodigio illo, quo gladius in aere comparuit, utpote quod non in loco sancto, sed in aere stetit, nec de excommunicatione Iudaeorum, qua ἀποσυναγωγούς faciebant eos, qui Christum profitebantur, siquidem illa adhuc Christi tempore a Iudaeis decreta erat, Io. IX, 22, deinde istam desolationis Hierosolymorum causam fuisse proximam ac signum, uix asseuerare licebit. Vid. plura apud supra iam laudatam GERHARDVM, l. c. Quocirca statuimus nos, ut supra indicauimus, cum ORIGENE, CHRYSOSTOMO, GERHARDO, CALOUIO, aliisque, Romanum exercitum cum signis suis idololatricis, h. l. esse ὀδύνημα istud ἐρημώσεως, abominationem desolatam, dictam, i. e. praedictam, siue descriptam per Danielem Prophetam, cap. IX, 26, 27, non uero cap. XII, ut IO. CALVINVS alique opinantur, siquidem in hoc capite nihil agitur de Hierosolymorum excidio, sed computatio saltem traditur a tempore illo, quo sacrificia sunt abrogata et abominatio desolationis posita dicitur, cui illa מַשְׁמַעַת אַבְדָּן abominaciones desolantis, dicitur, quae uox uti de idolis aliisque rebus execrandis accipitur, sic in plurali adhibuit Daniel, ad indicandum, quod, ob uaria abominationum genera, exercitus Romanorum sit dicendus abominatio, u. g. ob signa idololatratica atque imagines, quae in signis gerebant et religiose adorabant, ob idolorum cultus, ob terrae sanctae, ipsorumque tandem Hierosolymorum et templi, post desolationem, profanationem, cetera, in qua stare dicitur a Domino, siue, ut ipsa uerba sonant, stans in loco sancto, ubi non oportet, ut S. MARCVS addidit, cap. XIII, 14. Ad quae uerba notetur primo, quod non intelligatur templum, sed solum circumsolyma, siue urbem sanctam, Matth. IV, 5, uti recte notauit GROTIUS ad h. l. inquiring, ἐς ὅς ἐν τόπῳ ἁγίῳ. Hoc est non in ipso templo, id enim nota uenturae cladis non erat, sed ipsa clades praesentissima, uerum in templi conspectu, in solo circumurbem, quod solum DEO uni, non gentium diis, sacrum esse oportebat. Ita סביבות ירושלים tanquam locus eximie sacer etiam in Psalmo LXXIX, 3, nominatur. Et Alexander, Anticchi filius, immunitatem et sanctimoniam Hierosolymorum extendi uult ἕως τῶν ἑξῶν ἀντὶς, apud Iosephum. Deinde quod uerba illa sint Sospitatoris, non Danielis, nec iste LXX interpretes fecerit,

fuerit, qui locutionem *Danielis* םממשׁ םיצרשׁ ףכז-לע uerterunt ἐπὶ τὸ ἰσθὸν βδέλυγμα τῶν ἐθνώσεων minus accurate, quae uertenda erant, et per aliam abominationum, i. e. per exercitum Romanorum, desolare faciens erit, i. e. desolare faciet princeps ille sanctam urbem atque sanctuarium, de quibus in u. 26 egit *Daniel*. Cum itaque hunc abominabilem exercitum desolantemque cum principe suo uidebitis, tunc fugiant, de quo momento ad uersum seq. Verba autem, ὁ ἀγανώσκων νοεῖτω, quae inter utrumque uersum, admonitionis ergo sunt inserta, ad *Danielis* uaticinium, literis consignatum, sunt referenda. Id, iubet Dominus, ut attente legant, et mente altius expendant, quod ille iam excidium Hierosolymorum atque cultus Leuitici totiusque politicae Iudaicae abrogationem praedixerit, ac tempus nunc adfit, quo id adimpletum fuerit.

Τότε ἐν τῇ Ἰουδαίᾳ φηγέτωσαν ἐπὶ τὰ ὄρη. Tunc, cum uidebitis Romanorum exercitum Hierosolyma obfidentem eaque desolaturum, scitote, ut e. Lucas, u. 20, supplet, quod appropinquauit desolatio eius, tunc omnes fugiant, si non ante fugerint, qui in Iudaea sunt, prout recte obseruauit GROTIUS ad haec uerba, scribens, τότε, i. e. si non ante fugeritis, tunc saltem fugite, cum primum aduentare expansi signis exercitus conspicietis, cum poni primum castra incipient. Nam ad id usque tempus patebat fuga, nondum occlusis egressibus, quod factum mense, ex quo exercitus urbi adnotus erat, tertio, cum murus circum urbem ductus est ambitu XXIV stadiorum additis castellis. Itaque Iosephus, eo ipso tempore multos profugisse, narrat. Tunc ergo temporis, cum haec uiderint, qui in Iudaea, speciatimque Hierosolymis et in uicinia, sunt, fugiant in montes tutos et remotiores, intelliguntur tamen simul et alia loca tuta, qui commune erant in bellis refugium, uti tum ex sacris historiciis, tum ex Iosepho, est notum, et qui in medijs eius, scil. Iudaeae, sunt, discedant, et qui in regionibus sunt, non intrent in Iudaeam, Luc. XXI 21. Sed habitant nonnulli, quod hic de iis simul sermo sit, qui fuissent in Hierosolymorum ciuitate obsessi, siquidem uix credibile sit, quod illi effugere potuerint, sed de reliqua potius Iudaea. Verum, ut recte obseruauit GROTIUS in uerbis, modo ad ductis, tempora distinguenda esse, initio enim obsessionis fuga patebat omnibus, concedente eam ipso Tito. Audiamus eum, apud IOSEPHUM, Lib. VII de Bello Iud. cap. XIII, loquentem, Iussus, inquit, ab inuito patre cum mandatis tristibus ad ciuitatem uentre, laetabar, cognito, populum de pace sentire. Ante bellum rogabam uos desistere, pugnantibus aliquamdiu parcebam, sponte ad me uenientibus dexteram dedi, fidem seruauis confugientibus, multos captiuos miseratus, uerberibus uergentes bellum coercens, muris uestris machinas inuitus

inuitus admouit, semper caedis uestrae cupidus milites continui. Quoties uici, toties uos ad pacem tanquam uicinus prouocauit. Cum prope ad templum accessisset, uerum legis belli oblitus parcere uos propriis sanctis orabam, templumque seruare, data uobis exeundi copia et fide salutis. Ex quibus altera ex parte intelligitur, Iudaeos fugere potuisse, iuxta consilium Sospitatoris, si uoluissent, quemadmodum successor Iacobi, fratris Domini, et Episcopi Hierosol. cum reliquis Christianis ex Hierosolymis aufugens in ciuitatem Pellam sese recepit, ut EVSEBIUS lib. III Hist. Eccl. EPIPHANIVS haeres. 29, seqq. testantur, ac IOSEPHVS ipse meminit istiusmodi fugae, ibique seruati sunt. Sed excipitur, hoc Christianos quidem sciuisse, non autem Iudaeos, ac quis dubitaret, quin Christi uerba euulgarint Apostoli Iudaeis, sed nolebant fugere, quin potius introibant in Hierosolyma ex Iudaea et aliis regionibus, ad azygorum festum celebrandum, qua ratione factum, ut uelut in carcere tota gens conclusa esset, IOSEPHVS Lib. VII, c. VIII, de Bello Iud. Altera uero ex parte cognoscitur, summam fuisse eorum pertinaciam et indurationem, quod omnia pacis consilia spernerent, et in ipsum interitum ruerent execrati, excidiique templi essent causa, ut ipse huius rei auctor est IOSEPHVS, de quo momento in sequentibus diceretur, et ex Vespasiani uerbis, paulo ante adductis, dicitur.

Ο ἐν τῷ δώματός -- ἐκ τῆς ἀνάκτορος. Qui tunc in templo est, uid. de hac locutione b. 10. CONRAD. SCHWARZIVS in Comment. Crit. ad uocem δῶμα, et Vindictae nostrae, p. 354. Erant autem Iudaeorum tecta plana et septis iussu diuino, munita, ne quid decideret, Deut. XXII, 8, in quibus poterant ambulare, prandere, et quae id genus sunt alia hinc BEZA, GROTIUS, aliique solarium uertunt. Adhaec poterant etiam tum extra forinsecus, tum intra, domum gradibus ascendere et descendere. Suadet ergo Seruator, ut is, qui in superiori domus parte sit, non descendat in domum Marc. XIII, 35, eo scilicet, ut aliquid zollat ex illa domo sua, i. e. ex domus suae inferiori parte, in qua suppellex, uestes, aliaque bona recondita esse solebant, sed potius ut forinsecus descendere ad fugerent ob praesentissimum periculum. Sensus ergo est, quilibet tum temporis festinanter fugam parat, et laetetur, quod uitam seruare possit opportune, quam facile perderet, si commoraretur, et tempus in suppellectili consarcinanda consumeret. Ceterum notetur, quod ueteres uti totam hanc pericopen, sic hunc quoque uersum, mythice exposuerint, uid. Gerhardus laudatus, l. c. p. 702, seqq.

Καὶ ὁ ἐν τῷ ἀγρῷ -- τὰ ἱμάτια αὐτοῦ. Et qui in agro est, aut rerum peragendarum, aut animum recreandi, causa, is non reuertatur, retro in urbem Hierosolymorum tollere uestimenta sua, sed fugam maturet, quia

quia uitam, quae est pretiosior uestimentis, *Matth. VI 25*, hac ratione exponeret periculo. *S. Marcus*, singulari *ἰουδαίων* usus est, eoque procul dubio partim indicauit, uestimentum omnium necessarium esse aduersus tempestatis iniuriam, partim uero fugiendi summam necessitatem, quae adeo sit tanta, ut ne summe quidem necessaria sint attendenda ob uitae discrimen, sed omnia relinquenda, si modo uitae thesaurus seruari possit illo afflictionis tempore, siue ut *S. Lucas* addidit, quia dies ultionis hi sunt, ad implenda omnia, quae scripta ac praedicta sunt a Prophetis, *Dan. IX, 26, 27, Zach. XI, 1, seqq.* et a memor ipso, *Luc. XIX, 43, 44*. Vocatur autem illud tempus *dies ultionis*, quia DEVS illo tempore ultus est in Iudaeis scelera in Messiam admissa, Euangelii contentum, Apostolorum persecutionem, et omnem innocentum sanguinem Hierosolymis effusum, *Matth. XXIII, 34, seqq.*

Π Ρ Ο Σ Ο Ι Κ Ε Ι Ω Σ Ι C

I Ex eo agnoscas admirandam DEI longanimitatem ac misericordiam, quae omnes homines ad poenitentiam uult perductos, *2 Petr. III, 9*, quae uersalia poenarum iudicia longo tempore hominibus praedixit, *Gen. VI, 3, seqq. Ies. XXIX, 1, Ier. IV, 5, Dan. IX, 26, 27, Zach. XI, 1, seqq. Matth. XXIII, 34, seqq.* ut ideo nullam habeant excusationem, *Io. XV, 22, Rom. I, 20*.

II DEVS peccata saepe peccatis, abominations abominationibus, punit. Nisi enim abominanda facinora ac flagitia commississent Iudaei, abominabilis exercitus Hierosolyma non desolasset, nisi abominandis profanassent sceleribus ciuitatem sanctam, nec abominabilis exercitus posuisset signa abominabilia in loco sancto. Conf. *Ἐξηγησις* u. 15.

III Nostra utinam memoria agnosceretis, Saxones, ex uestris abominandis iniustitiae, auaritiae, hypocriseos, contemptus uerbi diuini, oppressionis pauperum, cer. facinoribus, quod desolatio uestra adsit, nisi uera poenitentia eam adhuc auertatis, uitamque emendetis, *Ies. I, 15, seqq. Ier. II, 8, 13, 19, III, 3, 4, 5, 12, 13, IV, 14, seqq. V, 1, seqq. 31, VI, 7, 8, 13, 14, Dan IX, 16, seqq.*

IV Quae Prophetae praedixerunt, non negligenda sed pie expendenda et corde pio seruanda sunt, *Luc. II, 31*, certissime enim adimplentur omnia, quae DEVS, qui

qui mentiri non potest, *Num. XXIII, 19*, per eos locutus est, 2 *Sam. XXIII, 2*,
Hab. II, 3; 2 *Petr. II, 21*.

V Abominatio et locus sanctus non conueniunt, Christus et Belial non consentiunt, 2 *Cor. VI, 14*, seqq. Hinc, quando scelera abominanda in sancta quadam uides ciuitate, fuge hinc, 2 *Cor. VI, 17*. Desolatio imminebit. Expende hoc V Vitteberga, et respisce, conf. *περσοικ. III*

VI Quo nos uertamus in his afflictionibus et diebus ultionis? Ad te, o DEVS, qui es solus auxilium nostrum, *Pf. XLIX, 3*; *XXXI, 2*, seqq. tibi supplicamus, tu nobis auxilium mittas, *Pf. XLVI, 2*, seqq. *CXXX, 1*, seqq. *CXLII, 2*, seqq. *CXLIII, 1*, seqq. *Dan. IX, 16*, seqq. ad montes confugimus, e quibus auxilium, *Pf. CXXI, 1*, seqq. *CXXIII, 1*, seqq.

VII En prouidentiam diuinam, qua suis consulit. Confide ergo ipsi, iuxta *περσοικ.* anteced. tibi etiam consulat, ac locum, quo tutus esse possis, monstrabit, 1 *Reg. XIX, 2*, seqq. *Pf. XCI, 4*, seqq. *Matth. II, 13*.

VIII In tempore exoremus DEI auxilium, antequam DEI ira exardescat, si semel enim illa exarserit, quis eam extinguet? si semel poenae irruerint, quis eas auertet? *Ier. XV, 1*, seqq. *Ex. XIV, 13, 14*.

IX Fuga sibi suisque consulere licet. Moses fugit, *Exod. II, 15*, Dauides fugit, 1 *Sam. XIX, 18*, Elias fugit, 1 *Reg. XIX, 2*, seqq. ipse Christus fugit, *Matth. II, 13*, ipseque fugere iussit, *Matth. X, 23*, *XXIV, 16*, *Marc. XIII, 14*.

X Montes nos non tueri, nec munimenta tutari possunt, nisi DEVS castra metitus sit Angelorum circum nos, 2 *Reg. VI, 17*, *Pf. XXXIV, 8*. In DEO ergo, non in munimentis spem nostram collocemus, *Pf. XLVI, 2*, seqq.

XI Ex duobus malis minimum ut eligendum est, sic uitae conseruatio in calamitatibus est anteferenda omnibus facultatibus, *Iob. II, 4*, *Matth. VI, 25*, DEO que hostia laudis, pro uitae conseruatione, offerenda est, *Gen. IIX, 20*, *Pf. CIII, 1, 2*, *Ebr. XIII, 15*.

XII Ho-

XII Homo tenetur omnem adhibere operam, atque media, quae ad uitam seruandam quicquam faciunt, homo tenetur relinquere bona, ut illam seruet, *Iob. II*, est enim uita thesaurus omnium pretiosissimus, *Matth. VI, 25*.

VERSUS 19 — 22

19 Οὐαὶ δὲ ταῖς ἐν γαστρὶ ἐχούσαις, καὶ
ταῖς θηλαζούσαις, ἐν ἐκείναις ταῖς ἡμέ-
20 ραις. Προσέχετε δὲ, ἵνα μὴ γίνω-
ται ἡ φυγὴ ὑμῶν χειμῶνος, μὴ δὲ
21 ἐν σαββάτῳ. Ἐσται γὰρ τότε θλίψις
μεγάλη, οὗ οὐ γέγονεν ἀπ' ἀρχῆς
κόσμου, ἕως τοῦ νῦν, οὐδ' οὐ μὴ γέ-
22 νῆται. Καὶ εἰ μὴ ἐκπορευθήσονται αἱ
ἡμέραι ἐκείναι, οὐκ ἂν ἐσάθην πάσα
σὰρξ, διὰ δὲ τοῦ ἐκλεκτοῦ κολάβα-
θήσονται αἱ ἡμέραι ἐκείναι.

*Vae autem in utero habentibus, et lactantibus, in illis diebus. Ora-
te autem, ne fiat fuga uestra
hyeme, neque in sabbato. Erit
enim tunc afflictio magna, qua-
lis non fuit ab initio mundi us-
que ad nunc, neque unquam fiet.
Et nisi contracti fuissent dies il-
lae, neque omnino seruaretur ul-
la caro, propter electos autem con-
trahentur dies illae.*

ΕΞΗΓΗΣΙΣ

Οὐαὶ δὲ ταῖς ἐν γαστρὶ ἐχούσαις — ταῖς ἡμέραις. *Vae* (quae uox alias est imprecantis, hoc loco autem est miserescentis, dolentis, ac praenunciantis sortem miseriae plenam,) autem, prae ceteris comprimis, in utero habentibus, siue grauidis, quae, praeter illas afflictiones ac dolores, quos Eua sua transgressione in sexum sequiorem deuoluit, *Gen III, 16*, diuinæ ultionis calamitatibus affligentur, eum, partim aegritudine et ventris onere exercebuntur, partim in fuga fame ac lassitudine conficientur, partim denique metu immisericordis ac petulantis militis diuexabuntur, nec tamen spes elabendi, uel salutis, ipsis supererit, quia ventris onere grauatae uelociter fugere haut queunt, atque inde eo facilius a milite comprehendi possunt immani, aut, si Hierosolymis commorabuntur, non tantum duplici illa calamitate affligentur, sed etiam denique uel fame, uel gladio, uel peste, misere peribunt. Nec minoris miseriae conditio erit lactantibus, quibus pares molestiae perpetendae erunt, eademque sese obiciunt fugae repentinae et longinquae impedimenta. Nam, quae infantes ex collo suspenso ferunt, cito fugere non possunt, nec sine istis fugere uolunt lactantes. Quam in rem dudum scripsit CHRYSOSTOMVS, *Homil. LXXVII in Matth. Vae praegnantibus et lactantibus. Alterum, quia, cum tardiores sint,*

sint, non possunt facile fugere onere ventris retentae, alterum, quando affectus infantium umulo retinentur, cumque nequeunt simul se et lactentes conseruare, una depereunt. Nam pecuniam quidem et uestimenta contemnere facile est, sicut recuperare non arduum, quae uero natura duce comparantur, quomodo effugere poterit? quomodo uentre grauis leuior fiet? quomodo lactans mulier lactentem infantem, quem peperit, negliget? Vae igitur utrique parti in illis diebus, i.e. illo tempore, iuxta *Vindic. p. 58, seqq.* ultionis diuinae, *Luc. XXI, 22*, quo neque super praegnantem, neque super lactantes, neque super infantes earum misericordia erat. Tunc enim temporis implebatur Domini effatum, quod *Luc. XXIII, 28, 29*, praedixerat, *Filias Ierusalem nolite flere super me, sed super uosmet ipsas flere, et super filios uestros, quia, ecce, uenient dies, in quibus dicent. Beatae steriles et uentres, qui non genuerunt, et ubera, quae non lactauerunt.*

Προσεύχεται δὲ, -- μὴδ' ἐν σαββάτῳ. Orate autem, preces enim, quando seruae sunt, et a fide proficiuntur, sunt unicum medium, quo a DEI longanimitate et misericordia auxilium in afflictionibus consequi, ac calamitates a nobis auertere, uel mitigare, *Exod. III, 7, 9*, possumus, *Ps. L, 15*, *Dan. IX, 16, seqq.* *Ion. III, 5, seqq.* *Eocl. XXXV, 21, seqq.* *Luc. XIX, 7, 8*, *Ebr. XI, 6*, *Iac. I, 6, 7, V, 16, seqq.* Ne fiat fuga uestra hyeme, quia hyemale tempus ad iter faciendum, nedum ad celerrime et procul fugiendum, minus est aptum, siquidem diurnum partim breuitas, partim aduersa tempestas, ut frigus, pluuiae, nives, ac venti sunt impedimento, uiasque reddunt difficiles, hinc fit, ut fugientes, per syluas ac montes errantes, frigore saepe ac fame, uel gladio tandem, pereant, misere, prout idem obseruauit dudum AUCTOR *Oper. Imperf. Hom. XLIX in Maribacum* scribens, *Fugientibus et in uia manere necesse est, et in syluis latere, et per deserta uagari. Fuga autem, (de qua scilicet Dominus hic loquitur), uestem portare non sinit, domum intrare non permittit, ignem accendere non concedit. In hyeme autem quid faciat fugiens? Necesse est ergo, aut fugiens frigore pereat, aut manens gladio moriatur. Sed sicut hyeme fugiendi necessitas multo cum periculo erat coniuncta, sic sabbato iter ultra bis mille passuum Iudaei interdicebant, atque hinc longum iter, quo procul fugiendum, erat illicitum, quare, ne fuga fieret in sabbato, orare iubet discipulos, tum temporis seniorum adhuc traditionibus et hypothefibus imbutos, horumque nomine omnes, *Marc. XIII, 37.**

Ἐσαῖ γὰρ τότε θλίψις μεγάλη, -- οὐδ' οὐ μὴ γένηται. Erat enim, causam addit sospirator, cur repente ac procul fugiendum, et grauidarum ac lactantium conditio omnium deplorabilis futura sit, tunc temporis, cum exercitus Romanorum signa circum Hierosolyma posuit, *afflictio magna,*
E S. Mar-

S. Marcus uero scripsit, erunt enim dies illi afflictio, abstracto, pro concreto, usus, ad afflictionis magnitudinem exprimendam, uid. *Vindic. p. 20, seqq.* quia nihil, quam afflictio et calamitas ubique, erit sperandum, tempora erunt calamitiosissima, extra ciuitatem hostis, gladius, caedes, intra ciuitatem seditiones, fames, pestis, caedes, quas calamitates commemorauit IOSEPHVS, lib. VII de Bello Iud. conf. quae ad u. 43 et 44 Domin. X post Trinit. sunt annotata, siquidem ira DEI, ut S. Lucas addidit, u. 23, super hunc populum erit, quo ipso significauit Dominus, hanc afflictionem non fore paternam *δοκιμασιαν*, seu castigationem, *Ebr. XII. seqq.* sed *τιμωριαν*, seu poenam horrendam, ab irato DEO immisam, quae delationem finalem et aeternam terrae Iudaeae sit allatura, siue ut S. Paulus, 1 Thess. II, 16, loquitur, *peruenit super eos, Iudaeos, ira DEI usque ad finem*, ut non amplius DEI populus esse, uel audire, debeant, *Hof. IV, 6.* Quam in rem dudum scripsit AUCTOR Oper. Imperf. Homil. XLIX in Matth. *Usque ad Christum Iudaei, esse peccatores fuerunt, tamen filii erant, non hostes, et ideo omnis ira, quae ueniebat super eos, castigatio erat, de misericordia ueniens, non condemnatio de ira descendens.* Crucifixo autem Domino deserunt esse filii, et facti sunt hostes, propterea iam non castigatio uenit corrigens, sed condemnatio eradicans. Capta enim est Ierusalem ab Assyriiis et iterum reparata est. Destructa est ab Antiocho, et iterum reaedificata est. Inuasa est tertio a Pompeio, et iterum reparata est. Sicut enim homo, priusquam dies mortis eius adueniat, languere quidem potest, mori autem non potest, sic et Iudaea ante Christum uexata est quidem, perditam autem non est. Postquam uero horrendum parricidium commiserunt, crucifigentes Filium Patris, mortem inferentes ei, a quo acceperunt uitam, et, quod maius est, occidentes serui Domini, homines DEVM, tali eos percussit plaga, ut nunquam sanentur. Atque hinc, cum excoecata gens tantum commiserit peccatum, quantum antea commissum non erat, tantae etiam infecutae sunt poenae, quantas antequam, in complexu sumtas, nulla unquam gens est experta, quas Dominus indicat his uerbis, *qualis non facta ab initio mundi usque ad nunc, neque unquam fiet, siquidem*, ut S. LUCAS u. 24 addit, *cadent acie gladii et captiui ducuntur in omnes gentes, et Hierosolyma erunt calcata a gentibus donec impleantur tempora gentium.* Quod Christi effatum, qua priora uerba, ipse IOSEPHVS, Lib. VI, c. XV. de B. I. iisdem fere uerbis confirmauit, inquit, *DEVS, qui damnauerat hunc populum, omnem uiam salutis ad interitum eis uerterat. Et erant dies illi talis afflictio, qualis non fuit ab initio mundi, qua posteriora uero ille, ut pote qui futurarum rerum erat nescius, iudicare non potuit. interim tamen omnes historiae testantur, talem afflictionem ab origine mundi usque ad nostram memoriam non exuisse. Verum enim uero excipitur, dari omni.*

omnino maiores calamitates, quam illa Iudeorum fuerit calamitas, quas inter referunt calamitatem diluivalem, Se domorum interitum, itemque Antichristi persecutiones futuras, atque respondent alii cum AVGVSTINO ex eius *Epist. LXXX*, calamitates dictas esse ad Iudaeos saltem restringendas, ut sensus sit, tales fore Iudaici populi calamitates, quales ille nunquam perpeffus, quamvis grauissimas in Aegypto, tempore Midianitarum, *Ind. VI, 1, seqq. Isf. IX, 4*, tempore captiuitatis Babylonicae, tempore Antiochi, cer, perpeffus fuerit, nec unquam perpeffurus esset, sed, quia dicitur *ab initio mundi*, et apud S. Marcum, *c. XIII, 19*, legitur, *qualis non fuit ab initio creaturae, quam creauit DEVS*, eo sensu non accipi possunt uerba Christi, utpote quod Iudaeorum natio tunc nondum exiit, quae ab *Abrabami* tandem posteris originem doxit, quare rectius alii accipiunt uniuersaliter de omnibus gentibus, quod nulla unquam gens perpeffa fuerit tales afflictiones, quales Iudaei in Hierosolymorum ciuitate ab hostibus sunt perpeffi. Nulla enim gens nominari potest, quae uniuersa in una ciuitate conclusa, intra eam, ineffabili fame, gladio, peste, igne, aliisque sexcentis malis excruciata, extra eam uero ab hostibus afflicta, fuerit, adeo, ut undecies centum millia perierint, et centum fere millia in captiuitatem abduci fuerint. Atque hinc subscribimus sententiae b. GERHARDI, *c. p. 71*, inquit, *Simplicissime respondetur, de tribulationibus ab hostium irruptione metuendis, non autem de calamitatibus immediate a DEO immissis, hic sermonem esse. Conflagratio Sodomorum, diluuium uniuersale, cer, fuerunt poenae immediate a DEO hominibus immissae, non autem tribulationes ab hostibus illatae. At inquit, tribulatio ab Antichristo metuenda futura erit grauior. Respondent quidam, proprie et accurate loquendo, aliud esse tribulationem, aliud persecutionem, aliud ἁλις, aliud διαγωγόν. Illa est a DEO et hominibus, haec ab hominibus, non a DEO, nisi ratione praesensiois, praedictionis, permissionis, et determinationis. Illa est communis piis et impiis, haec solos exercet pios. Sed, cum persecutio secum trahat ἁλις, ideo respondemus, de corporalibus calamitatibus, a manifestis hostibus populo alicui illatis, Christo hic sermonem esse. Antichristi uero erit potissimum spiritualis, quam non inferet Ecclesiae ut apertus hostis, sed ut sedens in templo DEI, hoc est, dominatum in Ecclesia gerens, iuxta interpretationem Apostoli, 2 Thess. II, 4. Praeterea, cum tribulatio, quae ultimae obfessionis tempore Iudaeis obigit, fuerit typus Antichristianae persecutionis, ideo in hac negatione addita quod non sit futura talis tribulatio, Antichristi persecutio, ut pote prioris illius tribulationis Iudaicae ἀντιχριστου, non includitur.*

Καὶ ἢ μὴ ἐκολεθῶθησαν -- κολοθῶθησονται δι' ἡμεῶν ἐκείνων. Et, nisi decurtatae fuissent dies illae afflictionum, i. e. nisi finem fecisset Dominus, Marc. XIII, 20, calamitosissimi huius temporis, *V. indic. p. 58, seqq.* Sicut autem Domi-

nus loquitur Prophetico stilo de futuris, tanquam praeteritis, ad rei certitudinem, et quod reuera euentura sint, exprimendam, ita abbreviatio dierum non physice est intelligenda, acsi celeriori solis cursu dies breuiores facti essent, sicut, e contrario, tempore *Iesuae*, cum sol a cursu suo quiesceret, dies longior fiebat, *Iof. X, 12, 13*, quos iam sua memoria confutauit **HIERONYMVS**, sed moraliter, de afflictionum fine. Si enim afflictiones illae longius durassent, tota Iudaeorum gens, procul dubio, interiisset, siue ut Dominus loquitur, *non omnino seruata fuisset omnis caro, i. e. nullus homo, uel nemo inter Iudaeos*, uid. de hoc duplici Graecismo *Vindic. p. 79, et 315, seruatus fuisset*. Nam, qui partim Hierosolymis congregati erant, uel trucidati fuissent, uel fame ac peste periissent, omnes, partim aliis in ciuitatibus et regionibus superflites communi odio erant adeo expositi, ut nullae omnino huius gentis, quam tamen interire non oportebat, *Math. XXIV, 34*, reliquiae seruatae fuissent, prout eam in rem dudum scripsit **CHRYSOSTOMVS** ad *b. l.* inquiens, *Si diutius Romanorum in Hierosolyima bellum durasset, nemo Iudaeorum omnino euassisset. Sic autem dixit, ut tam praesentes, quam absentes, his uerbis includeret. Non enim, qui in Iudaea fuerunt, tantum impugnabantur, sed ubique dispersos Iudaeos mirabili odio et inaudita indignatione Romani pellebant, persequabantur, trucidabant, sed uniuersa gens, sicut Sodomae aliusque accidit populis *Ies. I, 9, Rom. IX, 29*, funditus eradicata fuisset. At propter electos, a **DEO** praeuifos, qui in hac gente adhuc delirabant, et ad totam *Israelem* electam una pertinebant, *Rom. XI, 26*, ac uel praesentes erant, uel eorum posteris adhuc oriundi, ex gratia **DEI**, qui non uult, ut aliquis pereat, *2 Petr. III, 9*, decurtabantur dies illae tribulationis, ne isti simul cum illis perirent. Quibus adiungimus etiam eos electos, qui iam ex Iudaeis Christiani erant facti, de quibus **GROTIUS** ad *b. l.* scribens, *διὰ δὲ τοῦ ἐκλε- κτοῦ, id est Christianorum causa, qui sparsi per Iudaeam et Galilaeam pecudum ritu caesi fuissent a sicariis, Zelotis, et tyrannis, utpote auersi a belli consiliis. Nam isti sceleratissimi homines ἐόντων ἀπομόνοῦν τὸ Φοβεῖν τοῦ σπρωγῆς ἀξίους*, sed non solos intelligimus cum **GROTIO**, sed, ut diximus, adhuc etiam credituros, prout **b. GERHARDVS**, post **AVGVSTINVM** aliosque grauius scripsit, inquiens, *Electorum nomine intelliguntur fideles et in Christum credentes, tum illi, qui tempore ultimi illius excidii iam dum credebant, tum qui progressu temporis ex illis credituri erant, tum qui ex illis erant nascituri, et suo tempore ad Christum conuertendi, omnes enim illos electorum nomine Christus complectitur. AVGVSTINVS* Epist. *LXXX. Non debemus ambigere, quando euerja est Ierusalem, fuisse in illo populo electos **DEI**, qui ex circumcisione crederant, siue fuerant credituri, electi ante constitutionem mundi, propter quos breuiarentur dies illi.**

ΠΡΟΣΟΙ

Π Ρ Ο Σ Ο Ι Κ Ε Ι Ω Σ Ι C

- I Tempore licet tribulationis coelibes non tor curis atque impedimentis, uitae suae conseruandae causa, ex cruciantur, quot coniuges, *1 Cor. VII, 26, seqq.* hic enim grauidae ibi lactantes, uxores, sunt impedimento, quo minus fuga sibi consulere possunt, coelibatus tamen ideo non est efferendus, coniugium autem criminandum, multo minus fiducia in DEO est abiicienda. DEVS mediis in hostibus seruare potest, *Pf. XCI, 2, 4, 7, 9, seqq. Thren. III, 22, seqq. Ebr. X, 35; XII, 1, 2, 3.*
- II Quo magis sequioris sexus uices, tempore belli, dolendae sunt, ipse enim Christus eas doluit, eo magis contendendum est iis, ut in tempore sibi consulant, et in statu fidei ac sanctitatis inueniantur, quo DEVS ipsarum misereatur, *Pf. CIII, 13, 1 Tim. II, 15.*
- III Tene, quod in pace tibi erat auxilium, quod tibi erat dulcedo, quod erat bonum ac donum diuinum, *Gen. II, 18, Pf. CXXVII, 3, CXXIX, 3, seqq. Ez. XXIV, 16,* id tibi in bello fieri posse molestiam, amaritudinem, aerumnam, ac poenarum augmentum.
- IV Poenas calamitatesque tu effugere si uis diuinas, precare. Poenarum mitigationem si efflagitas, precare. Fidei enim preces sunt unicum illud medium, quo uoti tui compos fieri potes, *Psaln. L, 15, Ierem. V, 3, Iac. I, 6, 7, V, 16, seqq.*
- V Necessitas non habet legem, necessitatis opera in Sabbato non prohibentur, pecori enim in sabbato opem ferre licet, ne pereat, quanto magis homo obligatus erit sibi suaeque uitae in Sabbato prospicere, *Math. XII, 2, seqq. 10, seqq. Marc. III, 4.*
- VI Opportune DEVS exorandus est, ut calamitates auertat, si enim semel eius ira exarserit, quis eam extinguet. Precare igitur in tempore iuxta *περσοικ.* anteced. antequam exardeat.
- VII Cum temporis ratio calamitates saepe augeat, exorandus etiam haec in causa DEVS est, ut opportuno tempore eas, pro sua gratia et misericordia immitat, ne prorsus succumbamus.
- VIII Noli putare, tuas calamitates esse omnium grauissimas, longe grauioribus alii sustinuerunt, *Ebr. XI, 36, seqq.* Patienter ergo fer, quas DEVS immitit, eumque implora, ut finiat, *Pf. VI, 5, X, 12, 14, 17, 1 Cor. X, 13.*
- IX Cum oculus Christi futuras uideat calamitates, crede, eum et tuas uideri, easque decurraturum esse. In spe ergo ei patientia eas sustine.
- X Quanta peccata, tantae poenae sunt! Si peccata sunt extra ordinem grauius, extra ordinem quoque poenae sunt grauissimae, *Gen. VI, 3, 5, 7, XIX, 20, XIX, 24, 25, Exod. XIV, 24, seqq. Matih VII, 2, XXIII, 35, seqq.*
- XI Ecce mediis in poenis electorum DEVS meminit, horumque causa

impiis simul parcit, ac poenas finit. Crede ergo, pia anima, DEVM nec tui in calamitatibus obliturum esse, sed earum finem facturum, ut ferre possis, *Ies. LIV, 8, 10, Añ. XXVII, 24, 25, 1 Cor. X, 13, 2 Petr. II, 5, 7.*

XII O si impiae expendere civitates, quanta sit felicitas et utilitas, si pii et electi in ipsis habitant, DEVS enim partim calamitates, illorum causa, auertit, *Gen. XIX, 21*, partim finem facit, iuxta προομι. anteced. eos non adeo affligerent grauius, nec tot gemitus iis extorquerent, *Gen. XLIX, 32, XIX, 9, 21, Ps. X, 1, seqq., 2 Petr. II, 7, seqq.*

XIII Tandem, pro misericordia diuina, calamitates desinunt, tandem tuae etiam desinent. Bono ergo animo DEO que confide, omnia is bene faciet, *Iob. V, 19, seqq., XLII, 10, seqq., Ps. XXXVII, 5, LV, 23, Ier. III, 12, Luc. XIX, 7, 8.*

V E R S V S 23 — 25

23 Τότε, εὐάν τις ὑμῶν εἴπῃ, ἰδοὺ, ἄδε ὁ
24 χριστός, ἢ ἄδε, μὴ πιστεύσητε. Ἐγερ-
θήσονται γὰρ ψευδοχριστοὶ καὶ ψευ-
δοπροφήται, καὶ δώσουσι σημεῖα καὶ
θαύματα, ὡς πλανήσαν, εἰ
25 δυνατὸν, καὶ τοὺς ἐλεκτούς. Ἰδοὺ,
προεῖρηκα ὑμῖν.

*Tunc, si quis vobis dixerit, ecce, hic est
Christus, aut hic, ne credatis. Ex-
surgent enim pseudochristi et falsi
prophetas, et dabunt signa magna et
prodigia, ut seducerent, si possibile
esset, etiam electos. Ecce, praedi-
xi vobis.*

Ε Ξ Η Γ Η Σ Ι Σ

Τότε, εὐάν τις — μὴ πιστεύσητε. Tunc, post Hierosolymorum excidium ac finitas afflictiones, in ipsa Hierosolymorum obsidione enim nulli pseudo-christi exorti sunt, nulla signa, nulla prodigia, a falsis Prophetis sunt edita, quare nec illud obsidionis tempus uocula τότε indicare potest, sed sequens tempus, quod antecederet extremi iudicii tempus in Ecclesia Christi. Progredditur enim Dominus ad alteram quaestionem a discipulis u. 3 huius cap. XXIV propositam, ad quam quidem u. 4, seqq. iisdem fere uerbis iam responderat Dominus, sed tamen hic denuo tempora inuicem coniungit, quae inuicem securura essent. Scilicet primum tempus erat Hierosolymorum excidium, secundum tempus Ecclesiae in his terris militantis usque ad extremum iudicium, quod uocula τότε h. l. indicat, de eoque hoc u. 23 usque ad u. 28 agitur, et denique tertium, siue ultimum tempus, quod est extremi iudicii, quod u. 29, seqq. exposuit Sospitator. Quare recte b. CALOVIUS, in *Bibl. Ill.* ad h. l. inquit, *Rectius haec ad eos, qui surrexerunt post excidium referuntur, quam ab aliis ad principes illos trium factionum, Eleazarum, Simonem, et Iohannem, de quibus IOSEPHVS Lib. VI, de Bello Iud. c. l. perhibet quod tempore captiuitatis extiterint, multosque pseudopphetas auxilium diuinum pollicentes subornarint. Illi enim se non uenditarunt pro Christo. Et uideatur*

detur omnino hic Christus ad secundam quaestionem de tempore aduentus sui spiritualis transire, uti probe observatum est Grotio. Ad signa extremi diei eum progredi equidem Chrysoctomus, Hilarius, Hieronymus, Theophylactus, Euthymius, b. Hieronymus, Barradius, Maldonatus, censet, sed dissentit Abulensis, probatque b. Gerhardus, haec non pertinere ad quaestionem de signis extremi diei. Non tamen cum eodem de obsidione Hierosolymitanae tempore haec accipimus, quia tum neque pseudochristi tales extiterunt, neque pseudoprophetae, qui falsi miraculis populum deluserint. Tunc ergo temporis, post excidium Hierosolymorum, si quis, quicumque ille sit, siue sit pseudopropheta, siue a pseudopropheta seductus, siue alius quidam, dixerit uel referendo, uel persuadendo nobis, nomine Apostolorum ad posteros loquitur Dominus, Marc. XIII, 37, Rom XV, 4, ecce, hic est Christus, siue Messias, aut hic, de quo effato, paulo post, ad u. 26 dicendi locus erit, ne credatis his mendaciis seducentium, uipote qui a Spiritu ueritatis meliora uobis edocti, Io. XII, 26, XVI, 13, scientes, quod ego non amplius, nisi in extremo iudicio, forma uisibili, compariturus sim, multo minus regnum quoddam instauraturus mundanum, Matth. XXV, 31, seqq. Io. XIII, 36, Act. I, u.

Εγὼ εἰσοῦμαι γὰρ ψευδοχριστοὶ -- καὶ τοὺς ἐκλεκτοὺς. Surgent enim, a spiritu mendacii excitati, 2 Chron. XIII, 21, Io. IIX, 44, 1 Io. IV, 1, seqq. pseudochristi, per quos intelliguntur ii, qui, Christum se esse, mentiti sunt, de quibus Grotius ad h. l. scribit, statim post excidium Ionathas προηγόρατος ἀν-
 Ἰσραήλ, ut Iosephus loquitur, multos in Cyrenaicam solitudinem perduxit, σημεῖα καὶ θαύματα δεῖξεν ὑποζυγοῦμενος, quem conatum Catullius, provinciae praeses, armis disiecit. Adriani temporibus Barchochebas ita dictus a Chochaba, nobili Galilaei uico, cuius Epiphanius meminit, (i. e. a stella, quam se uocauit ex Iacobo oriundam, Num. XXIV, 17,) palam omnibus dixit, **אני משיחא** ego sum Messias. Hunc Adrianus in urbe Bethar obsedit. Ipse impostor in urbe capta a milite trucidatus est, ex quo tempore a Iudaeis non **בר-כונה** sed **בר-כונה** i. e. filius mendacii dici coepit, cuius seductione et seditione supra quingenta millia hominum periisse a DIONE refertur. Nec defuerunt plures huiusmodi inter Iudaeos impostores, quorum catalogum exhibet CHRISTIANVS GERSON, P. II Talmud, cap. IX, sicut eiusdem gentibus tum ante, tum post, excidium Hierosolymorum in aliis quoque gentibus extiterunt homines pseudochristi, ut Simon magus, Manes, alii, qui, sese Christum esse, sunt mentiti. Quo pertinent etiam ii, qui supra et contra Christum sese extollunt, S. Iohannis Antichristi dicti, quorum alter in Oriente, Mahamedes, exortus est, alter in occidente, media in Christiana Ecclesia, homo scilicet ille peccati et filius perditionis, qui sedet in templo DEI ut DEVS, sese afferens supra omnem dictum DEVM, cuius aduentus est secundum opera-

tionem satanae, in omni uirtute et signis et prodigiis mendacii, ut Paulus eum describit, 2 *Theff. II*, 3, 4, 9, 1 *Tim. IV*, 1, *segg.* quem ipse Dominus in ultimo suo aduentu interficiet gladio oris sui et destruet, 2 *Theff. II*, 8, adeoque iste durabit usque ad consummationem seculi. Et licet hic nomine pseudochristus non dicatur, re tamen est talis, cum ueram doctrinam Christi abroget, suam contra, a daemone oriundam, pro Christi doctrina, adeoque se pro pseudochristo, uendit, 1 *Tim. IV*, 1, *segg.* Vt nihil dicam, quod Christum ex Ecclesia proseripserit, cum, sese huius esse caput, illius uero in terris uicarium, dicat, eiusque doctrinam pro lubitu immuter, corrumpat, et auferat. Vti uero Christus suos habuit prophetas, qui tum in V. T. de eo sunt uaticinati, tum in N. T. de ipso testati sunt, ut *Simeon*, *Luc. II*, 27, *segg.* *Iohannes baptista*, *Matth. XI*, 13, *Io. I*, 29, sic et pseudochristus illis satanas dedit, uel illi ipsi subordinarunt, pseudoprophetas, prout reffe hanc in rem iudicauit GROTIVS, scribens, *Ψευδοπροφήτας ex connexioni orationis intelligi παραστάτας τῶν Ψευδοχρησίων*, qui sacrarum literarum testimoniiis abutebantur, ut populo persuaderent, hunc aut illum impostorem esse promissum Messiam, qualis, Adriani temporibus, fuit Aquibas, Balaami de stella uaticinium, (quia uicus, unde Barchochebae nomen, stellae habebat significationem,) Aggaeique, et aliorum Prophetarum uaticinia ad illum trahens. Nec Aquibas tantum, sed, si ipsis Iudaeis, et, qui inter Iudaeos minime nugatur, Maimonidi credamus, plerique eius aetatis sapientes. Nec dubitandum est, quin, simili modo, alii quoque *Ψευδοχρηστοί* suos habuerint *Ψευδοπροφήτας*, sicut bestia illa in *Apocalypsi* memorata sum habet *Pseudopphetam*, c. *XVI*, 13, c. *XIX*, 20, c. *XX*, 10. Quales Antichristi prophetae sunt omnes doctores, Antichristi doctrinam et eius regnandi maiestatem propugnantes, 2 *Theff. II*, 3, *segg.* ac dicta Scripturae S. ad eum applicantes, u. g. quando, duo luminaria magna, *Gen. I*, 16. maius pontificem Rom. minus Caesarem significare, aiunt, quando, *Psalmum IIX*, 7, *segg.* de potestate pontificis agere, quando, duos gladios, *Luc. XXII*, 38, potestatem pontificis Ecclesasticam et civilem denotare, dicunt. Praeterea de his pseudochristis et pseudoprophetais dicitur, quod permisso diuino, *Dent. XIII*, 1, *segg.* operatione satanae, edituri sint signa magna et prodigia, qualia illa Aegyptiorum fuerunt, *Exod. VII*, 11, 12, 22, *IIX*, 7, qualia fere Barchochebae, qui flammam euomuisse dicitur, et qualia sunt in Papatu signa fallacia, conf. *Apoc. XIII*, 13, 14, ut *seducerent*, s. MARCVS ad *seducendum*, finaliter ab agnita ueri Messiae ueritate, *Io. XVII*, 3, (hic enim est finis satanae, cur pseudochristos, cur pseudoprophetas, excitat, ut, specie sanctitatis incedentes, hominum animas, luporum instar, dilanient, *Matth. VII*, 15,) si possibile esset, electos. Vt enim electio praescientia diuina innititur, hancque fallere posse impossibile est, quia alias DEVS non esset infallibilis ac uerax, sic per electos non in genere Christiani, ut GROTIVS exponit,

ponit, intelligatur, quia, hoc non impossibile esse, experientia iam olim docuit eorum Christianorum exemplis, qui apostatae sunt facti, et nostra quoque docet memoria, sed illos indigitat inter Christianos, quos DEVS ab aeterno in Christum finaliter credituros praevuidit, et secundum hanc praevisionem, ob fidem finalem, ad vitam aeternam praedestinavit. Atque hos seduci posse, si quis assueveret, idem esset, ac si, electos Angelos, 1 *Tim. V, 21*, seduci posse, propugnaret. Indicare ergo voluit Dominus hac locutione, quod seductio tunc temporis ad summum gradum pervenerit.

Ἰδοὺ, προσηγνῶσα ὑμῖν. Ecce, vid. de oculae *ἰδοὺ* emphasi, quae ad u. 5 *Domin. I Aduem.* sunt dicta, cum tantum seductionis periculum imminet Ecclesiae Christianae, et certissime eueniet, bene uos attendite, *Marc. XIII, 37*, uobisque caute ab iis, *Matth. VII, 15*, praedixi uobis, antequam fiunt, ut, quando euenient, tum uos ipsi credetis, *Io. XIII, 19, XIV, 29*, tum eadem iis, qui uos in fide securi sunt, praenunciatis, quo credentes in fide perstent, non autem, pseudoprophetarum signis ac prodigiis applaudentes, a ueritate agnita discedant.

Π Ρ Ο Σ Ο Ι Κ Ε Ι Ω Σ Ι C

- I** Christus, post ascensionem in coelos, non in locis quibusdam mundi est quaerendus, sed in Verbo eius eum quaeras, *Io. V, 39, XX, 31*, et in corde tuo, utrum id inhabiter, *Io. XIV, 23, XV, 5, seqq. Eph. III, 16, 17, Apoc. III, 20.*
- II** In regno gratiae regnum Christi, et ipse Christus, intra nos est, *Luc. XVII, 21, Rom. XIV, 17*, non enim est regnum mundi, *Luc. XVII, 20, Io. XIII, 36.* Hinc neque Christum, neque eius regnum, in mundi angulis quaeras, iuxta *προσοικ.* anteced. neque credas, si qui, hic quaerendum esse, tibi persuadeant, 2 *Theff. II, 2, 3, 1 Io. IV, 1.*
- III** Caueto a falsis prophetis, neque signis ac prodigiis eorum credito, a satana enim, qui se in Angelum lucis transformat, proficiscuntur, *Deut. XIII, 1, seqq. 2 Cor. XI, 13, 14, 2 Theff. II, 9.*
- IV** DEI simia est satanas, quia enim DEVS aduentum Filii sui per Prophetas praenunciavit, *Ies. LII, 7, seqq. LXII, 10, 11, Ier. XXIII, 5, 6, Dan. IX, 24, Zach. IX, 9, Mal. III, 1*, cet. idem ille pseudo- et Anti-christus, a se excitatis, pseudoprophetas praemitit. Ab his ergo caueto, iuxta *προσοικ.* anteced.
- V** DEI decreta ut sunt infallibilia et immutabilia, sic impossibile est, ut electi finaliter gratia DEI excidere et aeternum perire possint, *Io. X, 28, 29, Rom. IX, 29, 30, XI, 7, 2 Tim. II, 19.*
- VI** Cum pseudoprophetae etiam possint signa edere, *Deut. XIII, 1, seqq. 2 Theff. II, 9*, disce, quod signa et prodigia non sint Ecclesiae Christi notae infallibiles, atque hinc illi non ex signis, sed ex doctrina sint probandi, *Matth. VII, 16, Ies. LIX, 20, Io. XX, 31, Gal. I, 8, VI, 16, 1 Io. IV, 1, seqq.*

VII Licet tot essent pseudoprophetae, quot diaboli, et tanta afflictio, quas ne Angelicae quidem linguae eloqui possent, electos tamen seducere non possunt, DEVS enim pro iis inuigilat, *Psal. CXXI, 4, Dan. XII, 1, Luc. XIII, 7, 8, seqq.*

IX Cum Sospitator futuras calamitates praedixerit, altera ex parte eius agnosce gratiam, ne confundaris, sed sapias, ac poenitentiam agas, altera vero ex parte, quod, nisi sapias, sis ἀναπολόγητος, *Rom. I, 20.*

VERSUS 26 — 28

26 Εὰν οὖν εἴπωσιν ὑμῖν Ἰδοὺ, ἐν τῇ ἐρήμῳ
ἔστι, μὴ ἐξέλθητε, ἰδοὺ ἐν τοῖς ταμίαις,
27 μὴ πιστεύσητε. ὡσπερ γὰρ ἡ ἀστραὴ
ἐξέρχεται ἀπὸ ἀνατολῶν, καὶ φαινομένη
ἐστὶ δυσμῶν, οὕτως ἔσται καὶ ἡ παρουσία
28 τοῦ υἱοῦ τοῦ ἀνθρώπου, ὅπου γὰρ εἶπεν ἡ
το πῶμα, ἐκεῖ συναχθήσονται οἱ αἰεταί.

Si igitur dixerint uobis. Ecce, in deserto est, ne exeat, ecce in conclauibus, ne credatis. Sicut enim fulgur exit ab orientibus, et apparet usque ad occidentes, ita erit etiam praesentia filii hominis. Ubiq; enim cadauer est, ibi congregabuntur aquilae.

ΕΞΗΓΗΣΙΣ

Εὰν οὖν εἴπωσιν ὑμῖν — μὴ πιστεύσητε. Si igitur dixerint uobis aut seductores illi pseudoprophetae, aut ab itis seducti. Ecce, in deserto est Christus, ubi colligit manum, ut a seruitute Romanorum gentem suam liberet, suumque regnum instauret, ad solitudines enim impostores illi pseudochristi sese recipiebant, ut eo tutius manum colligerent, prout ex *roserno* est discere, eorum contra pseudoprophetae per ciuitates ac uicos nunciabant, quod in hoc uel illo sit deserto, persuadentes Iudaeis, ut exirent, suaque nomina adferberent eius vexillo, sed Dominus ait, *ne exeat*, quia non adero, non enim, cum semel ascenderit in coelum, amplius ante extremum iudicium comparebit, neque, cum comparebit, successiue aut clam comparebit, sed coram, instar fulguris, innumeris myriadibus Angelorum stipatus in nubibus uenturus, *Matt. XXV, 31, 1 Thess. IV, 16*, non uero in desertis, neque in conclauibus, quare, quando dicent uobis, *ecce in conclauibus est, ne credetis*, ut pote meliora edocli. Quemadmodum igitur uisibiliter Christus ante ultimum suum aduentum non comparebit, neque praemisissis prophetis, aut praeconibus, aduenturus erit, sed derepente, instar fulguris, iuxta uersum seq. sic nec inuisibiliter ille comparet in traditionibus et doctrinis Antichristi, sed unice in solo Verbo DEI scripto. Vid. plura, quae de Antichristo pseudochristo exposuit b. GERHARDVS, *l. c. cap. CLX.*

ΩΣΠΕΡ

3901. Ὅσοτεγ γὰρ ἡ ἀστραπή -- τοῦ οὐροῦ τοῦ ἀναθρόνου. Sicut enim fulgur, ex nube, cum fulgeat, exit ab orientibus, et paret usque ad occidentes plagas, et vice versa, sic erit etiam praesentia filii hominis, cum veniet secunda vice uisibilis. Appellat autem se Dominus filium hominis, quia sibi, ut filio hominis, data est potestas iudicium habendi, *To. V, 27, Act. XVII, 31*, simbolo fulgaris autem indicat, aduentum suum fore celerissimum, omnibus conspicuum, et ex improviso, *Matth. XXIV, 42, seqq. Luc. XVII, 20*. Sicut enim fulgur una eodemque momento, ex improviso, et derepente omnem illam coeli plagam, quam oculis nostris uidemus illuminat, sic, saum aduentum non in hoc, uel illo, loco fore, ait Dominus, sed in conspectu omnium hominum, non a prophetis iri praenunciatum, sed ex improviso, non successiue, sed uno eodemque momento ac derepente compariturum, iuxta locos modo allegatos, et CHRYSOSTOMVM, Homil. LXXVII in Matth. scribentem, Quomodo fulgur apparet. Non indiget certe praecoene, aut nuncia, sed in momento temporum omnibus apparet, sic igitur aduentus ille statim propter gloriae splendorem ubique uidebitur.


Οπου γὰρ εἶναι ἡ -- οἱ ἀετοί. Vbi enim cunque fuerit cadaver, pro quo S. Lucas, cap. XVII, 37, haber *αἰῶμα*, ibi, experientia teste, congregabuntur aquilae. Vti priori simili Dominus exposuerat, quali aliquando appariturus esset modo, sic prouerbiali nunc docet locutione, quod certissime ad se compariturum fideles sint aduenturi, si enim aquilae, dum cadaver sentiunt, ad illud celerissime aduolant, multo magis fideles, cum Christum uenturum uidebunt, ipsi occurrent, *Matth. XXV, 4, 7, 10, 1 Thess. IV, 17*, nec opus habebunt prophetis, uel daeibus. Atqui hac ratione bene inuicem omnia coherent, nec exceptio GROTII, cui pondus inest nullum, nos ab hac sententia abducat, scribentis, *Venerandum Christi corpus, postquam missum est in plenissimam uitae diuinae possessionem, uocari πῶμα, miror ueteribus uenire in mentem potuisse*, ideoque per *πῶμα* fideles, per aquilas uero dona Spiritus S. uidentur intelligere, sed uti falsum est. Christum uocari *πῶμα*, siquidem prouerbia non dant personis nomina, sed illustrationes rerum, sic uideantur, quae contra GROTIANAE expositionis inconuenientiam atulit b. CALOVIUS, in *Bibl. III. ad h. l.* neque hypothesis LIGHTFOOTI, (quam b. GERHARDVS iam ante eum in *Harmon. cap. cit.* obseruauit, sed non secutus est.) licet uerissimilima ea uisa fuerit b. ADAMO RECHENBERGIO, IO. HENRICO MAIO, GVSTAVO GEORGIO ZELTNERO, IO. CHRISTOPH. WOLFIO, in *Chr. Phil. ad h. l.* qua ille per *πῶμα* Hierosolyma, per aquilas Romanos intelligit, siquidem textus cohaerentiae repugnat, iuxta quem non amplius Dominus loquitur de Hierosolymis et Romanis, sed de ultimo suo aduentu et fidelium secum coniungatione, tum Lucas, qui itidem, *cap. XVII, 37*, hoc prouerbium de ultimo

rino Christi aduentu eiusque fidelibus accepit. Postquam enim Dominus, iuxta *S. Lucam*, de regno gratiae, u. 20, 21, egit, discipulos suos, u. 22 et 23, docet, quod in eo nunquam uisibiliter sit compariturus. Hinc, nemini, qui contrarium asserat nuncium, fidem esse habendam, sed uisibilem aduentum, eumque ultimum, fore in die nouissimo, quem appellat, u. 24, diem suum, instar fulguris, eodem uersu affirmat. Antequam autem haec fiant, se multa pati oportere, tradit, u. 25. Uersu deinde 26 et seqq. sese Dominus conuertit ad tempus, diem nouissimum praecedens, conf. *Matth. XXIV, 29-44*, quale illud sit futurum, et denique, cum discipuli, u. 37, interrogant, *ποῦ Κύριε, ubi, quo in loco, Domine*, haec fient, ut te inuenire possimus, respondet Dominus, ne essent de loco solliciti, *Ὅπου τὸ σῶμα, ἐκεῖ συναχθήσονται οἱ ἀετοί*. Sensus est, si aquilae corpus sentiunt, ad illudque aduolant, omnino fideles etiam aduenturi sunt ad Dominum, in nubibus comparentem, uti supra iam explicatum est.

Π Ρ Ο Σ Ο Ι Κ Ε Ι Ω Σ Ι C

- I In rebus fidei et salutis soli DEI uerbo credendum, idque pro regula habendum, est, *Ies. IIX, 20, Io. V, 39, XX, 31*, non uero hominum persuasionibus, uel traditionibus, assentiendum, quae uerbum DEI auferunt, *Deut. XIII, 1, seqq. Marc. VII, 7, 8, 9*.
- II Hoc tibi certum sit signum, eam Ecclesiam a DEO non esse, sed falsam, quae uerbo diuino aduersa docet, licet uel maxime Christum nominet, sanctitatem uitae ostendet, *Ies. IIX, 20, Matth. VII, 15, Gal. I, 8, Col. II, 18, 19, 1 Io. IV, 1, seqq.* ac signa iactiter, uel edar etiam, *Matth. XXIV, 24, 2 Thess. II, 9*, conf. ad uersus anteced. *πρὸς οἰκ. III, et VI*.
- III Cum aduentus Domini ultimus fiet ex improviso ac derepente, uigila, ne imparatus inueniaris, sed cum sponso tuo in aeterna gaudia introire possis, *Matth. XXIV, 42, 43, 44, XXV, 34, seqq. Marc. XIII, 35, seqq.*
- IV Iesum ad iudicium extremum uenturum omnes uidebunt homines, pii ouantes, impii eiulantes, *Dan. XII, 2, Matth. XXIV, 30, XXV, 31, seqq. Io. V, 28, 29*. Ita igitur uiue, ut in piis inueniaris, conf. *πρὸς οἰκ. anteced.*
- V Noli tu sollicitus esse, siue dormias sub terra, siue uigiles super terra, quomodo ad Iesum tuum in nouissimo die sis uenturus. Ipse enim te uocabit, eiusque uocem tu audiens prodibis in occursum eius, ut cum ipso sis uiuasque semper, hoc tibi sit solatio, *Io. V, 28, 29, XVII, 24, 1 Thess. IV, 13, seqq.*

Τ Ω Ι Θ Ε Ν Ι Μ Ο Ν Η Ι Η Δ Ο Ε Α



01 A 6643


ULB Halle 3
003 093 697




86-

2







23

Q. D. B. V
DISSERTATIONEM THEOLOGICAM
DE
OCVLO DOMINI
OMNIA VIDENTE

AD LOCOS
MATTH. IX, 18 -- 26, ET XXIV, 15 -- 28

ILLVSTRANDOS

PRAESIDE
CHRIST. SIGISMUNDO GEORGIO
SS. THEOL. DOCT. EIVSDEMQUE PROF. PVBL. ORDIN
REGIOELECTORAL. ALVMNORVM
EPHORO

D. *f. Apr.* FEBR. MDCC LVII

IN AVDITORIO MAIORI

DEFENDET

IO. FRIDERICVS WOLDERVS

SCHORA - SAXO



VVITTEBERGAE

STANNO TZSCHIDRICHIANO EXCVSA